This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

La
35
250

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

La 35.250

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

28 Feb., 1890.

[Carmen de figuris vel schematibus.]

INCERTI AUCTORIS

DE

FIGURIS

VEL

SCHEMATIBUS

VERSUS HEROICI.

EDITIONEM IN GERMANIA PRINCIPEM

CURAVIT

Friedrich Wilhelm

F. G. SCHNEIDEWIN.

GOTTINGAE,

SUMPTIBUS G. KUEBLERI.

MDCCCXLI.

La 35.250

FEB 28 1893

Salisbury Fund.

Prodierunt inde ab anno MDCCCXXXIX. Parisiis annales scholae diplomaticae, qui sic inscribuntur: *Bibliothèque de l'école des chartes. Tome premier.* 1839 — 1840. In quibus quae continentur commentationes maximam partem argumentum habent historicum, sed nec plane desiderantur quae philologorum studia excitent. Veluti prima statim disputatio offert: *Fragment inédit d'un versificateur latin ancien sur les figures de rhétorique.* Nomen editoris est *Jules-Etienne-Joseph Quicherat, employé aux travaux historiques de la bibliothèque royale.* Quos versus, cum liber forte in manus meas venisset, ubi raptim perlustravi, de vetustorum poetarum Ennii, Lucilii aliorum recens repertis reliquiis docto editori gratulabar. Adeo vel modulatio ipsa versuum redolere videbatur antiquos. Sed erant tamen quae tanquam aliunde nota et mihi familiaria aures circumstrepebant. Re accuratius explorata vidi, pleraque ex Graecis auctoribus latina facta tam novam faciem induisse, ut minus attentum lectorem facile fallere possint. Vel sic tamen eae sunt novi libelli virtutes, ut operae pretium mihi facturus viderer, si in nostrorum hominum

notitiam introduxissem. Accedebat quod mihi videbantur hi versus et emendatiores et explicatiores posse exhiberi. Editori enim Francogallo vel in emendatione vel in explanatione multa quidem prospere successerunt, sed nec sustulit menda omnia, quae tamen pleraque facile poterant removeri, interdum vel nova vulnera inflixit; neque ille fontes vel exemplorum vel doctrinae rhetoricae indicavit praeter ea quae cum Rutilio Lupo conveniunt; denique in censura universi libelli multa aut minus recte egit aut aliis agenda reliquit. Vir doctus dubitari nequit quin et plura praestitisset in emendatione singulorum locorum et de omni libelli ratione rectius fuisset iudicaturus, nisi Graecos fontes prorsus neglexisset. Nec ego haec iccirco dico, ut de laudibus modestissimi viri detraham, quem permulta scite administrasse lubenter et ex vero confiteor. Laudabile vel hoc est, quod verbis ipsius codicis exadverso scripturae a se emendatae positis hoc effecit, ut cuivis integrum esset de vera lectione quaerere. Quod exemplum secutus e regione codicis expressi scripturam eam quae mihi vera videbatur; a Quicerato autem in quibus discessissem, in ima pagina summa cum fide consignavi. Eiusdem sententias de singulis locis religiose ipsius verbis indicavi in annotatione. Quod videbatur principi editori deberi. Nunc dum narro quae a pag. 51. usque ad 64. de omni ratione libelli disseruit, ab ipso praetermissa supplebo, perperam dicta corrigam demonstraboque ex quibus fontibus quem in usum conscriptus libellus quam utilitatem afferat studiosis litterarum Romanarum. Ego vero si non ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα, sed κτῆμα ἐς ἀεὶ condere voluissem, diutius hoc opusculum in scriniis fuerat retinendum. Nec dubium est, quin eorum quoque fontes versuum reperire liceat plerorumque, quos nunc aliis indagandos committere oportuit. Qui Euripideas sententias in numerato habent, eos plura supplere posse confido. Mihi non tanti videbatur, ut scriptorum veterum omnem gregem pervolarem pauca verba venatus, sed in iis consistendum fuit, quae se sponte offerrent vel memoriae infixa vel in libellis rhetorum Graecorum obvia*). Pro-

*) Quaedam iam nunc succreverunt. Sic versus 72.

posui quae paucorum dierum studium tulit Martiali meo subtractorum. —

Edita haec sunt ex codice bibliothecae regiae Parisinae, qui numero 7530. est insignitus. Forma quarta: membranae palimpsestae manum elegantem hominis Itali produnt. Langobardicorum ductuum nitor arguere videtur *Quicerato*, codicem saeculi VIII. finem attingere. Quam sententiam satis certo argumento confirmavit singulari aliquo casu adiutus. Refert enim haec: *Par le plus heureux des hasards le n° 7530 porte sa date avec lui; voici comment. Il renferme une table calculée des Pâques, exécutée en même temps que le reste du manuscrit. Cette table s'étend de l'an 779 à l'an 835. Or comme ces sortes de calculs ne se font que pour les années les plus rapprochées en deçà et au delà de celle où l'on se trouve, on peut conclure que le manuscrit a été fait entre les années 779 et 835. De plus, il contient un calendrier, nécessairement de l'année courante, où Pâques est placé au 6 des kalendes d'avril (27 mars). Donc l'année de la période 779 — 835. dans laquelle Pâques tombe le 27 mars, est celle même de la confection du volume. Le problème ainsi-réduit admet trois solutions, à savoir les années 791, 802 et 813. La pureté des formes lombardiques me ferait pencher pour la date la plus reculée.*

Hic liber pervetustus, qui continet corpus rhetorum et grammaticorum Latinorum, in folio 28. litteris uncialibus haec ostendit valde memorabilia:

INCIPIT THUESTES VARII.

Lucius Varius, cognomento Rufus, Thyesten tragoedia (tragoediam *Quiceratus*) *magna cura absoluto* (absolutam

---

Pollet enim forma, quod regnum aetatis habendum est,

aperte expressus est ex Homerico versu Iliad. N, 484.

Καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Cum versus 46. verbis: *homo est* confer Quintilianum VIII, 3, 86. et cum versu 57. eunden. IX, 3, 35. Cum verss. 113. 114. similitudinem habent haec Auctoris ad Herenn. IV, 34, 46. *Ut si quis homtnem prodigum et luxuriosum illudens parcum et diligentem appellet.*

idem) post Actiacam victoriam Augusto, ludis eius, in scena edidit. Pro qua fabula sestertium deciens accepit.

En, vaniloquam hominem librarium, qui pro Thyeste Lucii Varii Rufi ad Origines Isidori Hispalensis delabatur! Verum Scholium illud, quantivis pretii cum accuratius excusserim in Novi Musei Rhenani a Welckero et Ritschelio renovati fasciculo primo, nunc apposuisse satis habeo.

Versus quos edidi rhetorici ita divisi sunt in codice, ut CXLVI. priores extent in foliis CXXV. et CXXVI. rect. et vers. et CXXVII. rect. Reliqui versus XXXVI. alia scripti manu eademque quam referunt cetera omnia eius voluminis, vacuo relicto folio CXXVII. vers. sequuntur fol. rect. CXXVIII. Neque tamen quicquam deesse recte statuit *Quiceratus*, qui rei rationem eam fuisse repperit, quod illud pensum inter duos scribas divisum fuerit. Nam versus CXLVII., qui est primus in folio CXXVIII., illius figurae monstrat exemplum, quae est in ima pagina folii CXXVII. rect. monstrata. Praecedit pedestri oratione conscriptus de arte rhetorica liber, cui titulus nostri opusculi subscriptus est ita, ut ab iis qui catalogum codicum confecere, perperam pro subscriptione illius habitus esse videatur. Nostros enim versus prorsus ignorant.

Cum autem in libello nostro quaedam figurae nobilissimae desiderentur, in fine esse truncatum *Quiceratus* censuit. Idem a capite quaedam intercidisse opinatur, cum fragmina priorum versuum non fuisse totius libelli initium pateat. Ipsius verba ascribam: *L'absence de plusieurs figures importantes me donne à croire que le morceau est tronqué à la fin; il l'est aussi au commencement; car, bien que la tête du premier feuillet qu'il occupe ait été enlevée par la rognure, et que dès le début il présente une lacune de deux hémistiches, cependant le peu qui reste des deux premiers vers fait assez reconnaître qu'ils n'ont jamais été une entrée en matière.*

De his paullo accuratius explicabimus. Diligentiores rhetores Graeci et Latini, qui figurarum doctrinam sibi singillatim illustrandam sumpserunt, eam divisionem instituunt, ut primum de figuris sententiarum, posthac

de elocutionis dicant, vel contra. Graeci σχήματα διανοίας καὶ λέξεως vocant. Sed scimus extitisse, qui omisso illo discrimine omnes utriusque generis figuras tanquam per lancem saturam explanarent. Quam rationem quibus argutiis defenderint docet Quintilianus IX, 1, 15. his verbis: *Genus figurae unum quidam putaverunt, in hoc ipso diversas opiniones secuti. Nam hi, quia verborum mutatio sensus quoque verteret, omnes figuras in verbis esse dixerunt; illi, quia verba rebus accommodarentur, omnes in sensibus. Quarum utraque manifesta cavillatio est. Nam et eadem dici solent aliter atque aliter manetque sensus elocutione mutata; et figura sententiae plures habere verborum figuras potest.* Cum iis qui utrumque genus confuderunt facit noster magister pariter ac Rutilius Lupus. Sed in eo differt a Rutilio, quod spreto internae affinitatis vinculo litterarum initialium ordinem in enarrandis figuris ducem sequi maluit. Est quidem ubi ab instituto suo descivit, sed ut facile rationem reddere mutatae sedis liceat. Sic profisciscitur ab explicanda vi nominum κόμμα, κῶλον, περίοδος. Namque hoc ille tanquam fundamentum substruxit reliquis, uti Alexandrum rhetorem alterum librum de figuris elocutionis ab earundem explicatione orsum esse in annotatione demonstravi. Iam vide reliqua:

Ἀνάκλασις.
Ἀντιμεταβολή.
Ἀλλοίωσις.
Ἀντίθετον.
Αἰτιολογία.
Ἀνθυποφορά.
Ἀπόκρισις.
    Ἐπαναφορά.
    Ἐπιφορά.
    Κοινότης.
Ἀναδίπλωσις.

Intercursant tres figurae, quae legem ordinis migrare videntur, ἐπαναφορά, ἐπιφορά, κοινότης. Sed ἐπαναφοράν plerique ἀναφοράν appellant; quare non dubitandum, quin ἐπ — ex sequenti ἐπιφορά per fraudem irrepserit. Sic

omnia concordant. Nam ἐπιφοράν et κοινότητα ab ἀναφορᾷ divelli passus non est, quoniam sibi sunt valde propinquae. Easque cum apud auctores suos iungi vidisset, ut apud Alexandrum et Rutilium iunguntur, eorum imitatus exemplum litterarum ordinem violavit. Sequitur

Βραχυλογία.
Διαφορά.
Πολυσύνδετον.
Διαλελυμένον.

Interposuit Πολυσύνδετον propter contrariam figuram Διαλελυμένον. Quo magis mirum est, cur in ἀναδιπλώσει et ἐπαναλήψει, quae sunt simillimae figurae, idem tenere noluerit, v. vers. 41. 65.

Διηρημένον.
Διέξοδος.
Ἐπιπλοκή.
Ἐπανάληψις.
Ἐπιτροπή.
Ἐπιφωνούμενον.
Ἐπίζευξις.
Ἐπεκφώνησις.
Ἰσόκωλον.
Μερισμός.
Μετάβασις.
Μετάφρασις.
Ἔκκλισις.
Ὁρισμός.

Μετάφρασιν excipit ἔκκλισις, quod earum natura est persimilis.

Ὁμοιοτέλευτον.
Ὁμοιόπτωτον.
Πολύπτωτον.
Παρονομασία.
Πρόςαπόδοσις.
Παραδιαστολή.
Παρένθεσις.
Παρομολογία.
Πρόληψις.
Παρόμοιον.
Παῤῥησία.

Πρότασις.
Πάντα πρὸς πάντα.
Συναθροισμός.
Συνοικείωσις.
Τρίκωλον.
Χαρακτηρισμός.

Iam subito ingruunt quae id quod observavimus funditus evertere videantur. Quod eo mirabilius accidit, cum haec nova facies rerum paene congruat cum divisione illa opusculi inter duos librarios, de qua supra diximus. Nempe absoluto ordine semel instituto praetermissa quaedam auctor supplevit aliunde in iisque eandem servavit discriptionem quam in auctoribus Graecis reperiebat. Sic cum Alexandri Numenii ordinem confero, prorsus mirabilem rem deprehendi. Nam quae cum Alexandro communia habet Romanus — quaedam enim figurae apud hunc non comparent — sibi ita respondent, ut retrorsum paene concordent. Iuxta ponam utriusque figuras:

Alexandri.	*Incerti.*
1. Προςδιασάφησις.	11. Ἐπιτίμησις.
2. Περίφρασις.	10. Προϋπάντησις. [Ἀναστροφή.]
3. Πλεονασμός.	9. Ὑπέρβατον.
4. Ἔλλειψις.	8. Ἀντεναντίωσις.
5. Ἀλλοίωσις ἢ ἀλλαγή.	7. Ζεῦγμα.
6. Μεταβολή.	6. Μεταβολή.
7. Ζεῦγμα.	5. Ἀλλοίωσις *vel* ὑπαλλαγή.
8. Ἀντεναντίωσις.	4. Ἔλλειψις.
9. Ὑπέρβατον.	3. Πλεονασμός.
10. Προσυναπάντησις.	2. Περίφρασις.
11. Ἐπιτίμησις.	1. Προςδιασάφησις.

Solam ἀναστροφήν non video. Qui si casus est, — nam rationem consilii non possum divinare — singularis casus est.

Cum igitur rhetor ab ipsis doctrinae elementis profectus exhauserit eas figuras, quas in auctoribus suis repperit, in fine opusculi vix quicquam desiderari videtur. Ab initio perpauca, opinor. Nam si volumus hariolari, primis duobus versibus, quibus consilium suum declaravisset rhetor, dicebat, *sibi placuisse (Collibitumst*

nobis) scribere de figuris, quarum exempla petiverit et a Graecis et a Romanis, vel sic: *profecisse a Graecis, sed usurpato sermone Romano se Graecorum animos et Romanorum studuisse pariter placare virorum.* Idque fecit revera. Romana enim exempla posuit ibi potissimum, ubi Graeca exempla non poterant salva figura transferri. Veluti versu 13. 14. dictum Proculeianum usurpavit, aliis locis Lucretiana, Virgiliana, Horatiana, Sallustiana, Ciceroniana et fortasse Luciliana. — Sed ut in fine nihil, ab initio perpauca interierunt, ita in ipsa opusculi perpetuitate quaedam excidisse socordia librariorum aliquoties per annotationem admonui. Nec refragabor, si quis opusculum ab auctore paullo plenius exisse defendet. Sed quae Quiceratus praeterea posuit, videri hos versus fragmentum uberioris operis de figuris adeoque de arte rhetorica universa, ea mera somnia sunt. Pariter apud Graecos quidam doctores solas figuras, tanquam floridiores locos aridae doctrinae, exposuerunt.

Si quis fontes quaeret, ex quibus hausta sit doctrina magistri Romani, praeter Ciceronem, qui illi versu 19. et 169. prae oculis fuerit, *Rutilio Lupo* plurima debere his verbis professus est *Quiceratus*, v. pag. 55. *L'imitation de ce dernier est tellement flagrante, d'un bout à l'autre du fragment, que, pour la constater aux yeux du lecteur, il me suffit de le renvoyer à mes notes; on y trouvera les ressemblances des deux rhéteurs consignées chacune en leur lieu.* Idem addit, reliquorum technicorum Latinorum nullum in his versibus cerni vestigium et sicubi a Cicerone et Rutilio declinaverit auctor, plane suis pedibus insistere *(il devient tout à fait original)*.

Haec partim non plane sunt vera, partim aperte falsa. Ut a *Rutilio Lupo* ordiamur, hoc cuivis manifestum est, in permultis illi cum hoc magistro convenire. Verum id calidius dixit *Quiceratus*, Rutilianum libellum ab auctore horum versuum esse imitatione expressum. Minime vero. Nempe et ipse ex limpidis fontibus Graecis haurire didicerat. Id inde colligitur, quod cum alios auctores Graecos atque Rutilius consectatus est, tum eadem exempla, quae et ille posuit, ita versibus illigavit, ut ex Latino rhetore nullo pacto proficere

potuerit. Ut taceam alia, vel versus 16. — ubi vide quae dixi —

Sumere iam cretos, non sumptos cernere amicos,

nonne plenissime confirmat, ipsa verba Graeca Theophrasti a magistro transsumpta esse? Fuit autem ille tam tenax exemplorum suorum, ut quanquam compage soluta vincula tamen orationis perire non sit passus; vide, ut hoc utar, versum 125. *Nam* plebeius homo, cll. vers. 149. aliisque.

Iam vero constat, Rutilium Lupum in suum sermonem vertisse libros *Gorgiae*, rhetoris Atheniensis. Testis praeter ipsius libelli titulum Quintilianus IX, 2, 102. *Praeter illa autem, quae Cicero posuit inter lumina sententiarum, multa alia et idem Rutilius, Gorgian secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cuius quattuor libros in unum suum transtulit, et Celsus* *), *videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata.* Vixit autem Gorgias, qui Ciceronem filium in arte sua instituerit Athenis, v. Cic. Epp. ad Famill. XVI, 21, 6., sub Ciceronis senectutem adolescentiamque Augusti, vid. *Ruhnkenii* Praef. Rut. Lup. p. 10 sqq. Cuius libros iam intelligimus Romae valde celebratos fuisse, cum et a Rutilio Lupo expressi sint et a magistro nostro studiose in auxilium adhibiti.

Is praeter Gorgian et alios rhetores Graecos adiit. Quos si quaesivisset *Quiceratus*, non dixisset, suo periculo rhetorem nostrum, ubi a Rutilio discedat, rem egisse. Ego comparatione instituta statim deprehendi miram cum libris Alexandri rhetoris concordiam. Nam ubi a Rutilio discrepat, cum Alexandro et in appellatione figurarum et in explicatione exemplisque appositis egregie consentit. Id in annotatione persecutus sum, ad quam studiosos remitto. Rarius aliorum rhetorum

*) *Ce Celsus serait-il l'auteur du fragment?* quaerit *Quiceratus*. Haec suspicio tum demum esset aliquid, si noster quoque rhetor per omnem artis campum vagatus esset. Verum nec Rutilio accessit et ex Quintiliano IX, 2, 104. aliisque locis *Quiceratum* facile refellas. Et cum Celsum constet sub Tiberio Claudioque floruisse, opinatio ista evertit eam sententiam, quam de nostri libelli aetate inferius exprompsit *Quiceratus*. Fateor, mihi permirum fore, si nomen obscuri magistelli nostri ad hanc aetatem duravisset.

usum animadverti, ut Herodiani. Nisi forte quae iam non recurrunt in Alexandro, omnia in iis auctoribus repperit noster, quos Alexander compendifecit. Sed de hac re infra erit disputandi locus.

Gorgias autem et reliqui doctores Graeci prioris aetatis pariter atque Romani cum pedestri oratione scripserint, noster maluit versibus. Et iis versibus, quos maximam partem ab ipso fabricatos esse patet. Quod nec ipse dissimulavit, cum versu 154. scribit:

„Esse REVERSIO et *in prosa* solet, ut fit in istis:
Pausillam occultam male quod vult praecipiti in re."

Eaque quae ex Rutilio aliisque Graecis transtulit, ipse redegit in versus. *Nempe hunc libellum destinavit iuventuti quae in ludum ipsius conveniret.* Inde est, quod figuras ex ordine litterarum composuit, quod ad memoriolam adolescentium iuvandam versibus usus est, denique quod ita tenuit, ut fere tres versus heroicos in singularum figurarum explicationem exemplaque addenda impendat. Quae caussa facit, ut tenuitatem libelli et ambiguitatem definitionum facile excusemus. Uberius, opinor, omnia persequebatur ipse praesens iuvenesque similia confingere ipsos docebat. Etenim teste Suetonio de Claris Rhetoribus p. 32. Wolf. *Ratio docendi nec una omnibus nec singulis eadem semper fuit; quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam et dicta praeclara per omnes figuras, per casus; et apologos aliter atque aliter exponere — consuerant.* Hoc ipsum est quod ad auctorem nostrum maxime me allectavit, quod hoc singulari exemplo planissime cognoscimus, quae scholasticorum librorum apud Romanos fuerit condicio. Ceterum quod versibus usus est, si quis per lusum iocumque fecisse iudicabit, id in ipsius aetatem non cadere persuasum habeo. Quod vel a Terentiano Mauro alienum est: eum honorem sibi vindicant Tzetzae et fraterculi Tzetzarum.

Iuvenibus Romanis igitur ipsius institutioni commissis haec dictabat magistellus. Illi vero *saevo dictata magistro reddebant*, vel, ut eiusdem Horatii verbis utar, *recinebant dictata.* Mihi certe lectio libelli iucundi illius

temporis resuscitavit memoriam, quo in scamnis sedebam sermonis elementa discens prima et eximio cum gaudio aut solus recinebam aut cum omni commilitonum coetu, non sine strenuo pedum simul et manuum ministerio, poesin illam Zumptianam:

Die Männer, Völker, Flüsse, Wind
Und Monat Masculina sind.
Die Weiber, Bäume, Städte, Land
Und Inseln weiblich sind benannt.

Nota sunt reliqua. Quid quod in ipso sententiarum delectu iuvenilibus animis quid conduceret reputasse videtur auctor? Lege versus 92. 93., 39. 40. alios.

Haec hactenus de usu libelli. Restat ut de omni forma deque aetate quaeramus, qua confectum esse probabiliter statuas. Et *Quiceratus* quidem p. 53. in *prosodia* tam vetustum esse affirmat scriptorem, ut Lucilius non sit magis. Et sunt profecto, quae libellum in Luciliana tempora reiiciendum confirmare videantur. Nec abhorret ab ista aetate huiusmodi doctrina metrica de argumentis grammaticis rhetoricisque. Ipse Lucilius libro IX. Saturarum suarum *orthographiam contra imperitiam librariorum primus scripsit*, vid. *Franc. Dousae* Frr. Lucil. p. 43 sqq. et *Lud. Ferd. Schmidt.* C. Lucilii Satirar. quae de libro nono supersunt. Berolini 1840. Ex quo libro quaedam legens ipsum magistrum nostrum mihi videbar in manibus tenere: Velut haec fr. XII. (fr. XVI, p. 39. Schmidt.) servata apud Charisium I, 19, 2. p. 86. Putsch., p. 63. Lindemann.:

Nam veluti *intro* aliud longe esse atque intu' videmus,
Sic et *apud se* longe alid est nec idem valet *ad te*:
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

haec, inquam, nonne gemellum magistri nostri produnt? Idem Lucilius vel de figuris dixit, sive dedita opera, sive aliud agens, vid. Servius in Virgil. Aeneid. IX, 573. „*Caenea, Turnus: Turnus, Ityn;* ut ait *Lucilius: Bonum schema est, quotiens sensus variatur in iteratione verborum: [et in fine positus, sequentis fit exordium,*

qui appellatur climax.]" Verumtamen vel Gorgias ille ad recentiora tempora nos revocat.

In prosodia igitur adeo desideratur Augusteae aetatis nitor, ut Ennium Luciliumve te ob oculos habere iures. Sic s finale saepenumero detrahitur, quod qui in Arateis etiamtum sibi indulserat Cicero, idem in Oratore XLVIII, 161. *iam subrusticum* vocat. Sed in nostro libello habes vers. 12. *reflectimu' dicta;* 15. *convertimu' verba;* 21. *opponimu' quaedam;* 30. *fingimu' dici;* 44. *dicimu' multa;* 50. *pluribu' iungo;* 97. *claudimu' quaedam;* 103. *variantiu' quod sit;* 162. *non infortissimu' Graium;* 163. *nectimu' verbo;* 174. *subtraximu' grate.* Haec omnia notari debet pristinae licentiae documenta in eadem sede versus heroici haerere, h. e. post quintum pedem. Refractarium video unum versiculum 151. *priu' posteriori.*

Huc adde vers. 169. Comicorum poetarum formam *multimodis* (v. Schneideri Gramm. Lat. p. 349.), *dictust* pro *dictus est,* vers. 162., *meritos'st* vel *meritost* vers. 134. Tum vide tmeses in voce *conque gregatio* vers. 136. (Lucret. I, 453. *seiungi seque gregari,* vid. similia apud Weichert. Fragmm. Poett. Latt. p. 55.); *peri quam dicunt odos* vers. 19., *circum illa locutio* vers. 178. Porro hiatus notabilis vers. 38. *communio ut sit,* si sana scriptura, vide Schneideri librum p. 104. sq.; insolentior synizesis vers. 130. *Propositio* —⏑⏑—; diaeresis Lucretiana *suasi* ⏑—— vers. 63. Denique ut alia mittam, de quibus per annotationem locutus sum, vers. 151. *Praeoccursio* hanc habet mensuram ——́⏑⏑, ut praeoc auxilio synaloephae unam syllabam efficiat, veluti apud Catullum LXIV, 120. *praeoptarit,* apud Terentium Hecyr. IV, 1, 17. *praeoptares;* vide Schneiderum l. c. p. 92.

Ipse sermo eundem retinet horrorem antiquitatis. Primo loco commemoro consuetudinem illam vetustorum poetarum *alliterationem* avide aucupantium. Cuius haec exempla sunt: vers. 43. *fero bis praedita ferro;* 86. *rursus me redigo ad rem;* 92. *A primo puerum rectum est condiscere recte;* 125. *ferme fit;* 143. 144. *nec corpore praestas, Nec corde exuperas;* 150. *non amor est, verum ardor;* 135. *victos virtute;* 159. *laedit leges;* 173.

Curat enim nemo nec corrigit hanc rem, Sed culpat. Nusquam genitivus nominum alterius declinationis in ii terminatus extat: accusativum pluralem nominum tertiae in es ubique desinere mirum est. Pariter illud quod superlativi non umus, sed imus habent; sed *vortit* comparet vers. 93. Versus ipsi paene omnes ita scabri sunt, ut exempla ascribere pigeat.

Verba permulta se offerunt, quae vel plane nova finxit auctor, vel cum solis vetustioribus scriptoribus communia habet. Illorum pars maxima tamen ficta est ad accurate reddendos terminos Graecos. Qua in re idem licuit auctori quod scriptori ad Herennium IV, 7, 10. „Nomina rerum Graeca quae convertimus, ea remota sunt a consuetudine. Quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata." Verba igitur plane nova et cinctutis non exaudita Cethegis haec sunt:

Vers. 100. *Aequiclinatum*; 106. aequisonus; 180. *Assignificatio*; 145. *Depictio*; 35. *Desitio*; 138. denuncia; 83. *Distribuela*; 160. *Exadversio*; 64. indupetravi; 162. *infortissimus*; 71. *Intersertio*; 127. *Irreticentia*; 41. iteramen; 103. *Multiclinatum*; 151. *Praeoccursio*; 80. *Parimembrium*; 58. pugilamen; 155. pausilla; 86. *Remeatio*; 109. *Subnexio*; 118. *Suffessio*; 106. *Supparile*.

Inclinatis litteris ea signavi quae sunt ad Graecorum verborum normam anxia cura assimilata. Aliis idem studium novam significationem conciliavit, ut Ὁμοιοτέλευτον *Confine* appellavit vers. 97., ἀναστροφήν *Reversionem* vers. 154., ἀνθυποφοράν *Rellationem* vers. 27., ὑπέρβατον cum aliis *Transcensum* vers. 157. Sic Visellius teste Quintiliano IX, 2, 107. ἐνθύμημα reddidit *commentum*. Et pariter in aliis, ut cuique fingenti placeret.

Praeter haec vel verba vel structuras verborum pauca de multis afferam quae vetustorum sunt poetarum propria: 18. *differitas* vox Lucretiana; 45. *contemplare* activa forma; 52. *peregri*; 58. *caestus* secundae declinationis; 85. *dis* i. q. dives; 56. *disparsum* et *parsum* a verbo *partire* et *dispertire*, si recte iudico; 79. *sublimare*; 119. *nulli* i. q. *non*; 60. *parilis*; 132. *leges discendum est*; 153. *viantes* verbum Plautinum; 165. et 177. *pote*; 103. *variantius*; 25. namvero; 10. *tetracolon adusque*; 16.

cernere et *cretos*, h. e. *iudicare*, *κρίνειν*; 83. *privi*; 108. *dividiae*; 115. *fari*; 179. *dice loquendo*, pro quo Quiceratus censet auctorem scripturum fuisse *ede loquendo*, si post Virgilium scripsisset.

At scripsit profecto post Virgilii mortem demum. Quam meam sententiam priusquam communiam argumentis, par est Quiceratum audiri p. 54 sqq. haec disserentem: *Mais quand bien même cette haute antiquité* (dixerat enim videri Graochorum aequalem fuisse) *ne serait pas combattue par la nature de l'ouvrage, plusieurs autres circonstances la rendraient impossible. Ainsi la locution* bucera saecla *vers. 178. appartient à Lucrèce. Le vers 176. est presque tout entier d'Horace. Il est vrai que l'autorité de cette dernière citation pourrait être déclinée avec d'assez justes motifs. Elle se trouve dans Horace; mais à quel endroit de ce poëte? dans le voyage de Brindes, qui est une imitation du voyage de Lucile à Capoue. Ne pourrait-on pas prétendre que le vers en question n'est dans Horace qu'une réminiscence de son devancier? Cette opinion serait d'autant plus soutenable que l'expression* vix demum *est un archaïsme.*

Mais je n'ai que faire de cette supposition; j'admets que le passage indiqué appartienne en propre à Horace; je rappelle seulement qu'il est de la jeunesse de ce poëte, extrait d'un livre qui a été publié l'an 718 de Rome, sous le second triumvirat.

Post haec reiicit versum 177. (ubi vide meam annotationem) tanquam non ex Aeneide sumptum; tum postquam de Rutilio explicuit, pergit p. 57.: *Ces probabilités, réunies aux faits que j'ai signalés plus haut, m'ont amené à placer la composition du fragment sur les Figures, vers l'an 720, c'est-à-dire après la publication du premier livre des satires d' Horace, mais avant que la rhétorique latine s'exprimât dans une langue complétement arrêtée, et avant aussi que la protection toute-puissante d'Auguste eût déterminé le triomphe de l'école poétique, qui débarrassa pour toujours le vers latin des aspérités du vieil idiôme.*

Ce n'est là qu'une hypothèse, il est vrai; mais elle a le singulier avantage de n'être contrariée par aucun des renseignements directs ou indirects que fournissent les

vers du fragment. Ainsi, par exemple, qu'on interroge le sens historique de tous les passages qui relatent des faits ou expriment des opinions, on n'y trouvera pas une allusion, pas un détail de moeurs qui soit postérieur aux dernières années de la république. Les vers 133. 134. et 135. nous représentent la Grèce, l'Afrique et l'Espagne comme récemment subjuguées. Le vers 125. montre les droits politiques du peuple exercés dans toute leur étendue. Le vers 119. s'attaque indirectement à l'Académie. C'est une allusion à l'école de Carnéade où se forma Cicéron, et qui s'éteignit peu après dans les désastres de la guerre civile. Et cette antithèse contenue dans le vers 22. Tu scriba, ego censor, *n'est elle pas encore plus significative? Elle me frappe d'autant plus qu'elle semble être un exemple donné* ex abrupto *par l'auteur lui-même du traité. Or, une pareille phrase serait-elle venue sous sa plume s'il avait écrit plus tard qu' Auguste, après que Tibère eut aboli l'office et le nom de censeur? Je cherche en vain quelque indice historique plus récent que ceux que je viens de signaler. —*

Haec paullo cupidius disputata ad sobrii iudicii severitatem exigemus. Et ut hoc primum ponamus, versibus 133. sqq. non Graecia, Africa, Hispania *recens* subiectae, sed subiectae dicuntur simpliciter. Versum 125. ex Aeschine expressum prave interpretatur vir doctus, quasi de suae aetatis urbe Roma loquatur scriptor. Nec ex vers. 119. quicquam efficias, cum ea verba similiter ex scriptore aliquo Graeco sumpta esse videantur. De ultimo autem exemplo vers. 22. quam temere iudicet Quiceratus, perstrinxi in annotatione.

Sic notae historicae vanescunt. Nec reliqua pars disputationis firmior. Etenim demonstravi in annotatione, versum 177. ex Aeneide Virgilii petitum esse, ex quo carmine et vers. 76. effictus videtur. Aeneidos autem ultima post obitum demum Virgilii in publicum edita sunt h. e. post annum MDCCXXXV. u. c., vel XIX. ante Chr. nat. Gaio Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone consulibus, vid. praeter alios Weichert. de Luc. Var. p. 67 sq. Ita consequitur, ut hoc opusculum nec *ipsum ante illum* annum compositum esse possit.

Quae cum ita sint, audire mihi videor undique conclamantes, actum esse de nostro invento auctoremque relegandum in numerum eorum, qui aevo Antoninorum mirifico ardore obsoleti sordes sermonis in vitam revocare conniterentur. Nam si non sub finem reipublicae liberae scriptus esse possit libellus, Augusteum aevum non potuisse hunc fetum eniti. Mihi secus videtur et qui ista vociferantur, haec iubeo placido animo mecum reputare.

Non nego, si post editam demum Aeneida hic libellus scriptus esse potest, mirationem facere, cur scriptor in vetusta sermonis latini asperitate acquieverit. At Horatiorum, Virgiliorum, Ovidiorum comptae elegantiae haudquaquam reliquos omnes qui tum vixere, in simile studium corripuerant. Manebant etiamtum vestigia ruris. Illi quod tantopere a rudi priorum arte in melius degeneraverunt, ipsorum virtus fuit. Scimus fuisse, qui in vetustis sordibus ita defixi essent, ut novum genus poetarum perosi vetustos laudibus in caelum tollerent; fuere alii, qui quodam quasi torpore ingenii ad novarum elegantiarum aemulationem obduruerant. Nec id mirum accidit. Similis est in pedestri oratione aequalium scriptorum diversitas. Recens a Ciceroniano splendore Varronem adi, sive tu linguae latinae libros seu haud paullo politiores de Re Rustica voles: videbere ad scriptorem saeculo priorem revolutus esse. Nimirum ita hoc se habet, ut discrimen sit faciundum inter scripta diversi generis. Nam qui libri non solum docere, sed etiam delectare volunt, iure sibi suo vindicant orationem limatam atque tersam: contra qui in tradenda arte vel in exponendis rebus ad vitae utilitatem spectantibus versantur, horridulam siccitatem haud refugiunt et elegantiae novitatem a se segregant.

Comprehendamus igitur mente animoque auctorem huius libelli hominem, qui rempublicam vidisset — cfr. vers. 128 sq. aliaque — iisque disciplinis excultus esset quae tum vigerent. Qui cum in usum discipulorum suorum ista commentaretur, quae casus ad hanc aetatem servavit, tantum afuit, ut sectaretur recentiorum poetarum suavitatem, ut in rebus pariter atque verbis fingendisque versibus inconditae antiquitatis rubiginem tena-

cissime conservaret. Quanquam magistrum recentiores non superciliose despectasse arguit id ipsum, quod Horatiana quaedam et Virgiliana haudquaquam perhorruit. Fraudem posterioris saeculi vel, si mavis, superstitiosam veterum venerationem fictamque simulationem non cadere in omnem libelli rationem apertissimum est. Denique si quis instabit atque urgebit, in doctorem urbanum non cadere videri hanc orationis duritiem, nihil impedio, quominus provincialis ludi magistrum fuisse arbitremur. Nam in provinciis diutius mansit studium vetustorum. Vide Suetonium de Claris Gramm. 24. „M. Val. Probus, Berytius, legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, ut Romae."

Sed dixi supra, habere nostrum permulta cum Alexandro rhetore communia. Et recte dixi, nec tamen ipsius Alexandri librum a nostro manibus versatum dixi. Nam Alexander Numenius (ὁ Νουμηνίου, σοφιστής Suidas p. 205, 3. Bernhardy.), quem eundem Aquila Romanus ducem habuit, floruit aevo Antoninorum. Hoc probabiliter effecit *LAURENTIUS NORRMANNUS* Prolegomenis in Alexandrum, vid. Walzii Rhett. Graec. VIII, p. 416 sqq. Patri enim Numenio Suidas p. 1011, 1. Bernhardy. et Eudocia p. 310. inter alia tribuunt Ἀδριανῷ παραμυθητικὸν εἰς Ἀντίνοον. Suidas: Νουμήνιος· ῥήτωρ· περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων, ὑποθέσεις τῶν Θουκυδίδου καὶ Δημοσθένους, Χρειῶν συναγωγήν, Ἀδριανῷ παραμυθητικὸν εἰς Ἀντίνοον. Illis verbis: περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων Norrmanno iudice Suidas *„aut simillimum et maxime genuinum aut hoc ipsum fortasse filii scriptum intelligit."* Profecto non hoc ipsum quod habemus: nam hoc est περὶ τῶν τῆς διανοίας καὶ τῆς λέξεως σχημάτων.

Nimirum quae fuit veterum Grammaticorum et Scholiastarum consuetudo, ut a prioribus congesta vel decreta pro suo quisque arbitrio libere conformarent et vel concisa vel amplificata sua facerent, eandem tenuere rhetores. Nec aliter Alexander, qui ipse professus est, se superiorum doctrinam in libellum suum transfudisse, libr. I, 1. p. 421. Walz. Ἔστι μὲν οὐχ ἡ τυχοῦσα δυςκολία περὶ τῶν τοῦ λόγου σχημάτων εἰπεῖν· καὶ γὰρ αὐτὰ τῷ πλήθει δυςπόριστά ἐστι, τῶν μὲν καὶ ἄπειρα φασκόντων εἶναι τὰ σχή-

ματα, τῶν δὲ οὐκ ἄπειρα μὲν, πολλὰ δὲ καὶ ἀπερίληπτα καὶ πρὸς τούτῳ γε οὐ ῥᾴδιον διακρῖναι τὸ σχῆμα ἀπὸ τοῦ τρόπου καὶ τῆς διανοίας καὶ τὰ τῆς λέξεως ἀπ' ἀλλήλων. Ὅμως δέ, ὡς ἂν οἷόν τε ᾖ, πειρασόμεθα περὶ αὐτῶν διεξελθεῖν, τά τε ὑπὸ τῶν ἀκριβέστερον περὶ αὐτῶν γεγραφότων παραδεδομένα τιθέντες καὶ διακρίνοντες αὐτὰ ἀπ' ἀλλήλων ὡς δυνατόν· τά τε κατα τὴν διάνοιαν καὶ τὴν λέξιν, χωρὶς μὲν τὰ τῆς διανοίας, χωρὶς δὲ τὰ τῆς λέξεως τιθέντες. **Ex qua professione et illud intelligimus, Alexandrum demum a se discrevisse figuras sententiarum et elocutionis, quae in priorum operibus ipsi propositis confusae videntur fuisse, ut sunt apud magistrum nostrum. Quem hominem novum hominibus doctis commendatum volo.**

Scribebam Gottingae die XVIII. mensis Martii, feriarum primo.

Hoc das hoc adimes nobis das spes adimes res
ΠΡΑΔΙΑΣΤΟΛΕ. Subdistinctio fit cum rem distinguimus ab re
Dum forte quia sit vaecor comemque vocat se
Quod si prodigus et clarum qui infamis habetur
ΠΑΡΕΝΤΕΣΙΣ. Interfectio cum quaedam medio ordine famur
Huc ut venimus interea nam tempus erat ver
Et sacrum, florae et cereri nemus imus ad aras
ΠΑΡΑΜΟΛΟΓΙΑ. Est suffasio cum sensi pro parte fatemur
Verum academia est esto tamen omnia nulli
In dubium revocant ad quaedam et pleraque sibi
ΠΡΟΛΗΣΙΣ. Anticipatio fit contraria cum occupo verba
Credo illae flevit multum et iuravit amico
Producit testes sed vos rem quaerere pars est
ΠΑΡΟΜΟΙΟΝ. At simul a momento cum simile hoc facio illi
Nan plebeius homo ut ferme fit libera in urbe
Regibi et puncto regnat suffragio loqui
ΠΑΡΡΗΣΙΑ. Inreticentia cum verum reticere negamus
Dicere quod res est cogor vos ita quirites
Vos facitis dum non dignis donatis honores
ΠΡΟΤΑΣΙΣ. Propositio cum proponas quod deinde repellas
Est ornanda domus spoliis hic ornat amicam
Exuviis leges discendum est discat amores
ΠΑΝΤΑ ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑ. Cuncta ad cuncta gens graia afra hispanica servit
Nam paritim meritostoltos partim insidiantes
Preveni partim victor virtute subegit
ΣΥΝΑΕΡΟΙΣΜΟΣ. Est conductio conque gregatio cum adcumulo res
Multa hortantur me res aetas tempus amici
Concilia tantae plebis denuntia natum
ΣΥΝΟΙΚΙΩΣΙΣ. Conciliatio fit diversum si conciliamus
Prodigus et parcus idem nescit uterque
Uti opibus peccant ambo res dederet ambo
ΤΡΙΚΩΛΩΝ. Ter iuga sunt quae respondent secum ordine trino
Sine que divitiis polles neque corpore praestas
Nec corde exuperas cur te dicam esse beatum
ΧΑΡΑΚΟΗΡΙΣΜΟΣ. Fit depinctio cum verb. ut imagine pingo
Pocula serta tenens flexa cervice iacebat
Limonides gravis optutu madido ore renidens
ΕΠΙΤΕΙΜΗΣΙΣ. Est correctio cum in quodam me corrigo dicto
Nam tarde tandem tarde dico immo hodie inquam
Vel sic non amor est verbum ardor furor iste
ΠΡΟΥΠΑΝΤΗΣΙΣ. Fit praeoccursio si redas prius posteriori

DE
FIGURIS VEL SCEMATIBUS.

Vèrba codicis.

Collibitu est no . . . .
. . . . pariter placare virorum
ΚΟΜΜΑ. Particulae membra efficiunt haec circuitum omnem
Particula est coma ut versu tria commata in illo
Arcadiam petis inmensum petis haud tribuam istud
ΚΩΛΟΝ. Membrea sunt quae cola vocant ea circuitum explent
Nam qui eadem vul hac non vult colon facit unum
Huic adiunge sequens his demum est firmus amicus
ΠΕΡΙΟΔΟΣ. Circuitus peri quam dicunt ados ora duobus
Membris ut praedicta venit treta colon adusque
Nam si plura itidem iungas oratio fiet
ΑΝΑΚΛΑΣΙΣ. Est reflectio cum contra reflectimus dicta
Non expecto tuam mortem pariter inquid at ille
Immo aut expectis oro neve interimas me
ΑΝΤΙΜΕΤΑΒΟΛΗ. Permutatio fit vice cum convertimus verba
Sumere iam cretos non supto cernere amicos
Quod queo tempus abest nequeo in quid
ΑΜΟΙΣΙΣ. Differitas fit differre hoc ubi dicimu illo
Excitat hunc cantus galli te buccina torba
Te ciet armatus victus huic otia cordis
ΑΝΤΙΘΕΤΟΝ. Appositum dico contra cum opponimus quaedam
Doctor tute ego discipulus tu scriba ego censor
Histrio tu spectator ego adque ego sibilo tu exis
ΑΕΤΙΟΛΟΓΙΑ. Redditio causae porro est cum cur ita dico
Aud. etsi durum est namvero quod grave primo
Consilium acciderit fit iogundum utilitate
ΑΝΕΙΠΟΦΟΡΑ. At si adversa mihi referam relatio fiet
Sed moveas te lucifugus sis in medio audax
Laudes inductus cui pes malus optige ambos

DE

FIGURIS VEL SCEMATIBUS.

Vèrba codicis.

Collibitu est no . . . .
. . . . pariter placare virorum
ΚΟΜΜΑ. Particulae membra efficiunt haec circuitum omnem
Particula est coma ut versu tria commata in illo
Arcadiam petis inmensum petis haud tribuam istud
ΚΩΛΟΝ. Membrea sunt quae cola vocant ea circuitum explent
Nam qui eadem vul hac non vult colon facit unum
Huic adiunge sequens his demum est firmus amicus
ΠΕΡΙΟΔΟΣ. Circuitus peri quam dicunt ados ora duobus
Membris ut praedicta venit treta colon adusque
Nam si plura itidem iungas oratio fiet
ΑΝΑΚΛΑΣΙΣ. Est reflectio cum contra reflectimus dicta
Non expecto tuam mortem pariter inquid at ille
Immo aut expectis oro neve interimas me
ΑΝΤΙΜΕΤΑΒΟΛΗ. Permutatio fit vice cum convertimus verba
Sumere iam cretos non supto cernere amicos
Quod queo tempus abest nequeo in quid
ΑΜΟΙΣΙΣ. Differitas fit differre hoc ubi dicimu illo
Excitat hunc cantus galli te buccina torba
Te ciet armatus victus huic otia cordis
ΑΝΤΙΘΕΤΟΝ. Appositum dico contra cum opponimus quaedam
Doctor tute ego discipulus tu scriba ego censor
Histrio tu spectator ego adque ego sibilo tu exis
ΑΕΤΙΟΛΟΓΙΑ. Redditio causae porro est cum cur ita dico
Aud. etsi durum est namvero quod grave primo
Consilium acciderit fit iogundum utilitate
ΑΝΕΙΠΟΦΟΡΑ. At si adversa mihi referam relatio fiet
Sed moveas te lucifugus sis, in medio audax
Laudes inductus cui pes malus optige ambos

ΑΠΟΚΡΙΣΙΣ. Fit responsio ad haec quae contra fingimus dici
Irascetur sperne dabit damnum reparabis
ΕΠΑΝΑΦΟΡΑ. Est repetitio cum verbo saepe incipio
Ipse epulans ipse exponens leta omnia nuptae
Ipse patrem prolemque canens idem ipse peremit
ΕΠΙΦΟΡΑ. Desisto contra cum verbo desino in uno
Ut possem fecit fatum dedit haec mihi fatum
Si perdam abstulerit fatum regit omnia fatum
ΚΟΙΝΟΤΗΣ. Haec duo coniunctim faciunt communio ut sit
Vis callere aliquid discas vis nobilitari
Ingenio dicas vis famam temnere discas
ΑΝΔΙΠΛΑΟΣΙΣ. Fit replicatio si gemines iteramine quaedam
Ibo in cum sit vel pollens ut fulmine dextra
Pollens fulmine dextra fero bis praedita ferro
ΒΡΑΧΥΛΟΓΙΑ. Est brevitas partim paucis cum dicimus multa
Mentem *contempla nam consilio* voluit fors
Decepit sepe ad homo est concede fatetur
ΔΙΑΦΩΡ. Si verbum diversae iteres distinctio fiet
Cuivis hoc homini dones homo si modo nolit
O muli vere mulier scelera omnia in hoc sunt
ΠΩΛΥΝΔΕΤΩΝ. Multi longum dico articulis quod pluribus iungo
Ille hunc fallit at hic gaudet nos vero timemus
Praesentim in peregri nefas abrumperet et iret
ΔΙΑΛΗΛΥΜΕΝΩΝ. Abiunctum contra est si nullis singula necto
Cognoscas qui sis cures te vir sapiens sis
Et prius verb. time illum quaelibet unum
ΔΙΕΡΕΙΜΜΕΝΩΝ. Disparsum reddo quod passum non ordine reddo
Ambo iovis merito proles verum ille equitando
Insignis castor castus hic pugil amine pullux
ΔΙΕΞΟΔΩΣ. Fit percussio percurro cum singula raptim
Maiorem vim non inveni et parilem simili in re
Vincemus non audebit certeare minorem
ΕΠΙΠΛΟΚΗ. Fit connexio posterius si necto priori
Cum sensi dixi cum dixisse deinde suasi
Cum suasissem abii simul atque abii indupetravi
ΕΠΑΝΑΛΗΜΦΙΣ. Illa resumptio fit quaedam cum dicta resumo
Cognitus est nobis iam cognitus at bene novi
Tu vere sapiens cunctis imo ipsa minerva
ΕΠΙΤΡΟΠΗ. Fit concessio cum quidvis concedimus opte
Nescivit vel non potuit vel noluit ut vis
Ponet ibi permitto tamen non debuit uti

Fit RESPONSIO ad haec quae contra fingimu' dici: 'Απόκρισις
— Irascetur? sperne. Dabit damnum? reparabis.
Est REPETITIO, cum verbo saepe incipio uno: 'Επανα-
— Ipse epulans, ipse exponens laeta omnia nuptae, φορά.
Ipse patrem prolemque canens, idem ipse peremit.
DESITIO contra, cum verbo desino in uno: 'Επιφορά.
— Ut possem fecit fatum; dedit haec mihi fatum;
Si perdam, abstulerit fatum: regit omnia fatum.
Haec duo coniunctim faciunt COMMUNIO ut sit: Κοινότης.
— Vis callere aliquid, discas; vis nobilitari
Ingenio, discas; vis famam temnere, discas.
Fit REPLICATIO, si gemines iteramine quaedam: 'Αναδί-
— Ibo in eum, sit vel pollens ut fulmine dextra, πλωσις.
Pollens fulmine dextra, fero bis praedita ferro.
Est BREVITAS carptim paucis cum dicimu' multa: Βραχυλο-
— Mentem contempla; nam consilio valuit, fors γία.
Decepit bene saepe; at homo est, concede: fatetur.
Si verbum diverse iteres, DISTINCTIO fiet: Διαφορά.
— Cuivis hoc homini dones, homo si modo, nolit.
— O mulier, vere mulier; scelera omnia in hoc sunt.
MULTIIUGUM dico articulis quod pluribu' iungo: Πολυσύν-
— Ille hunc fallit, at hic gaudet, nos vero timemus, δετον.
Praesertim peregri, ne fas abrumperet * et iret.
ABIUNCTUM contra est, si nullis singula necto: Διαλελυ-
— Cognoscas qui sis, cures te, vir sapiens sis μένον.
Et prius * verb. time illum quaelibet unum.
DISPARSUM reddo quod parsum uno ordine reddo: Διῃρημέ-
— Ambo Iovis merito proles: verum ille equitando νον.
Insignis Castor, caestûm hic pugilamine Pollux.
Fit PERCURSIO, percurro cum singula raptim: Διέξοδος.
— Maiorem vim * non inveni et parilem simili in re:
Vincemus, non audebit certare, minorem.
Fit CONNEXIO, posterius si necto priori: 'Επιπλοκή.
— Cum sensi, dixi: cum dixi, deinde suasi:
Cum suasissem, abii; simul atque abii, indupetravi.
Illa RESUMPTIO fit, quaedam cum dicta resumo: 'Επανά-
— Cognitus est nobis, iam cognitus, ac bene novi. ληψις.
— Tu vere sapiens cunctis, immo ipsa Minerva.
Fit CONCESSIO, cum quidvis concedimus optet: 'Επιτροπή.
— Nescivit, vel non potuit, vel noluit. Ut vis,
Pone, tibi permitto; tamen non debuit uti.

---

35. DESISTO 38. ut adsit: 48. 49. homo si modo, nolit Esse homuli vere mulier, scelera omnia in hoc sunt. 50. Πολυσύνθετον. 52. Praesertim in peregri, ne fas abrumpere tentet. 55. *omissus.* 56. DISPESSUM passum 60. 61. *omissi.* 70. Pone tibi, permitto.

ΕΠΙΦΩΝΟΥΜΕΝΩΝ.
Intersertio cum inseritur sententia quaedam
Pollet enim forma quod regnum aetatis habendum
Fortuna quae sola potest quemcumque beare
ΕΠΙΖΕΥΞΙΣ.
Fit geminatio cum sensus geminamus eosdem ,
Thebae aut, thebae vicina urbs inclytaque olim
Minate ominate me me cespes sola senecte
ΕΠΕΚΦΩΝΙΣΙΣ.
Exclamatio mea est quam ut motus reddo repente
At postquam victum video metu inproba et amans
Fortuna es quos sublimas mox ipsa praemendo
ΙΣΟΚΟΛΩΝ.
Fit pare membre ubi membra aequa et circuitus
Cum ec finis adest cupiendi nec modus extat
Utendi citius in dando est celeri repetendo
ΜΕΡΙΣΜΟΣ.
Cum primis propria attribuas fit destribuela
Huic furta in manibus faga plantis ventre sagina
Tu sumptu pauper dando dis ingenio rex
ΜΕΤΑΒΑΣΙΣ.
At rematio fit cum rursus me redigo ad rem
Verum longius excessi nec tempore in ipso
Fortasse indulgens animis ergo redeo illuc
ΜΕΤΑΦΡΑΣΙΣ.
Fit variatio cum simili re nomina muto
Regnavit libyco gene regnavit et argis
. . . .
ΕΚΚΛΑΙΣΙΣ.
Declinatio cum verbo declino parumper
A primo puerum rectum est condiscere recte
Dignos digna manent plerumque bonis bene vortit
ΩΡΙΣΜΟΣ.
Definitio fit cum rem definio pro me
Dilige hoc prorsum est vert id prosit et illi
Nam quid adse revocat quod vult mihi sese amat ipse
ὉΜΟΙΟΠΤΕΛΕΥΤΟΝ.
Confinies simili fini cum claudimus quaedam
Comminus indignatur ibi magis insidiatur
Ut noxam metuas sin. ostenderit iram
ΟΜΟΙΟΠΤΟΤΟΝ.
Acquae clinatum est quod casu promimus uno
Auxilium non consilium rata non cata verba
Rem non spem factum non dictum quaerit amicus
ΠΟΛΙΠΤΟΤΟΝ.
Multiclinatum contraria variantius quod sit
Tu solus sapiens tibi cuncti ce debent
A te consilium petere et tua dicta probare
ΠΑΡΑΟΝΟΜΑΣΙΑ.
Supparile est tale aequisono si nomine dicas
Movilitas non vilitas bona gens mala mens est
Dividiae non divitiae tibi villa favilla est
ΠΡΟΣΑΠΟΔΟΣΙΣ.
Est subnectio propositis subnectere quaeque
At nos non ut. tu nos simplicitate tuare

INTERSERTIO, cum inseritur sententia quaedam: 'Επιφω-
— Pollet enim forma (quod regnum aetatis habendum est) νούμενον.
Fortuna, quae sola potest quemcunque beare.
Fit GEMINATIO, cum sensus geminamus eosdem: 'Επίζευξις.
— Thebae autem, Thebae, vicina urbs inclytaque olim.
— Mi nate, o mi nate, meae spes sola senectae.
EXCLAMATIO ea est, quam ut motus reddo repente, 'Επεκφώ-
Ut, postquam victum video me: — Tu improba et amens νησις.
Fortuna, es, quos sublimas mox ipsa premendo.
Fit PARIMEMBRIUM, ubi membra aequa et circuitus sunt: 'Ισόκωλον.
— Cui nec finis adest cupiendi, nec modus extat
Utendi. — Citus in dando est, celer in repetendo.
Cum privis propria attribuas, fit DISTRIBUELA: Μερισμός.
— Huic furta in manibus, fuga plantis, ventre sagina.
— Tu sumptu pauper, dando dis, ingenio rex.
At REMEATIO fit, cum rursus me redigo ad rem: Μετάβα-
— Verum longius excessi, nec tempore in ipso, σις.
Fortasse indulgens animis; ergo redeo illuc.
Fit VARIATIO, cum, simili re, nomina muto: Μετάφρα-
Regnavit Libyco generi, regnavit et Argis. σις.
. . . .
DECLINATIO, cum verbo declino parumper: Έκκλισις.
— A primo puerum rectum est condiscere recte.
— Dignos digna manent; plerumque bonis bene vortit.
DEFINITIO fit, cum rem definio pro me: 'Ορισμός.
— Diligere hoc prorsum est vere, ut mihi prosit et illi:
Nam qui ad se revocat quod vult, mihi sese amat ipse.
CONFINE est, simili fini cum claudimu' quaedam: 'Ομοιοτέ-
— Quo minus indignatur, eo magis insidiatur, λευτον.
Ut noxam metuas, si non ostenderit iram.
AEQUICLINATUM est quod casu promimus uno: 'Ομοιό-
— Auxilium non consilium, rata non cata verba, πτωτον.
Rem non spem, factum non dictum quaerit amicus.
MULTICLINATUM contra variantiu' quod sit: Πολύπτω-
— Tu solus sapiens; tibi cuncti cedere debent, τον.
A te consilium petere et tua dicta probare.
SUPPARILE est tale, aequisono si nomine dicas: Παρονο-
— Mobilitas, non nobilitas. — Bona gens, mala mens est, — μασία.
— Dividiae, non divitiae. — Tibi villa favilla est.
Est SUBNEXIO propositis subnectere quaeque: Προσαπό-
— At nos non [te] ut tu nos: simplicitate utare. δοσις.

---

77. 78. repente: — At postquam victum video me, tu 80. PAR MEMBRUM 86. ADREMEATIO 93. vertit. 98. Cominus indignatur, ibi magis 99. At metuas noxam, 109. AEQUECLINATUM 106. est, tale 110. Ut: — Nos non, at tu nos simplicitate tuare.

Hoc das hoc adimes nobis das spes adimes res

ΠΡΑΔΙΑΣΤΟΛΕ.
Subdistinctio fit cum rem distinguimus ab re
Dum forte quia sit vaecor comemque vocat se
Quod si prodigus et clarum qui infamis habetur

ΠΑΡΕΝΤΕΣΙΣ.
Interfectio cum quaedam medio ordine famur
Huc ut venimus interea nam tempus erat ver
Et sacrum, florae et cereri nemus imus ad aras

ΠΑΡΑΜΟΛΟΓΙΑ.
Est suffasio cum sensi pro parte fatemur
Verum academia est esto tamen omnia nulli
In dubium revocant ad quaedam et pleraque sibi

ΠΡΟΛΗΣΙΣ.
Anticipatio fit contraria cum occupo verba
Credo illae flevit multum et iuravit amico
Producit testes sed vos rem quaerere pars est

ΠΑΡΟΜΟΙΟΝ.
At simul a momento cum simile hoc facio illi
Nan plebeius homo ut ferme fit libera in urbe
Regibi et puncto regnat suffragio loqui

ΠΑΡΡΗΣΙΑ.
Inreticentia cum verum reticere negamus
Dicere quod res est cogor vos ita quirites
Vos facitis dum non dignis donatis honores

ΠΡΟΤΑΣΙΣ.
Propositio cum proponas quod deinde repellas
Est ornanda domus spoliis hic ornat amicam
Exuviis leges discendum est discat amores

ΠΑΝΤΑ ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑ.
Cuncta ad cuncta gens graia afra hispanica servit
Nam paritim meritostoltos partim insidiantes
Preveni partim victor virtute subegit

ΣΥΝΑΕΡΟΙΣΜΟΣ.
Est conductio conque gregatio cum adcumulo res
Multa hortantur me res aetas tempus amici
Concilia tantae plebis denuntia natum

ΣΥΝΟΙΚΙΩΣΙΣ.
Conciliatio fit diversum si conciliamus
Prodigus et parcus idem nescit uterque
Uti opibus peccant ambo res dederet ambo

ΤΡΙΚΩΛΩΝ.
Ter iuga sunt quae respondent secum ordine trino
Sine que divitiis polles neque corpore praestas
Nec corde exuperas cur te dicam esse beatum

ΧΑΡΑΚΘΗΡΙΣΜΟΣ.
Fit depinctio cum verb. ut imagine pingo
Pocula serta tenens flexa cervice iacebat
Limonides gravis optutu madido ore renidens

ΕΠΙΤΕΙΜΗΣΙΣ.
Est correctio cum in quodam me corrigo dicto
Nam tarde tandem tarde dico immo hodie inquam
Vel sic non amor est verbum ardor furor iste

ΠΡΟΥΠΑΝΤΗΣΙΣ.
Fit praeoccursio si redas prius posteriori

— Hoc das, hoc adimis nobis: das spes, adimis res.
SUBDISTINCTIO fit, cum rem distinguimus ab re: Παραδιαστολή.
— Dum fortem qui sit vecors, comemque vocat se
Qui sit prodigus, et clarum qui infamis habetur.
INTERIECTIO, cum quaedam medio ordine famur: Παρένθεσις.
— Huc ut venimus interea (nam tempus erat ver
Et sacrum Florae et Cereri nemus), imus ad aras.
Est SUFFESSIO, cum sensim pro parte fatemur: Παρομολογία.
— Verum Academia est: esto; tamen omnia nulli
In dubium revocant; at quaedam, et pleraque, si vis.
ANTICIPATIO fit, contraria cum occupo verba: Πρόληψις.
— Credo, ille et flebit multum et iurabit; amicos
Producet testes; sed vos rem quaerere par est.
ASSIMILE, a momento cum simile hoc facio illi: Παρόμοιον.
— Nam plebeius homo, ut ferme fit libera in urbe,
Rex inibi et puncto regnat suffragia popli.
IRRETICENTIA, cum verum reticere negamus: Παῤῥησία.
— Dicere quod res est, cogor. Vos ista, Quirites,
Vos facitis, dum non dignis mandatis honores.
PROPOSITUM, cum proponas quod deinde repellas: Πρότασις.
— Est ornanda domus spoliis, hic ornat amicam
Exuviis; leges discendum est, discit amores.
CUNCTA AD CUNCTA, ut: — Gens Graia, Afra, Hispanica servit. Πάντα πρὸς πάντα.
Nam partim meritos 'st ultus, partim insidiantes
Praevenit, partim victos virtute subegit.
Est CONDUCTIO CONque GREGATIO, cum accumulo res: Συναθροισμός.
— Multa hortantur me, res, aetas, tempus, amici,
Concilium tantae plebis, denuncia vatum.
CONCILIATIO, diversum si conciliamus: Συνοικείωσις.
— Prodigus est et parcus idem; nam nescit uterque
Uti opibus; peccant ambo, res dedecet ambo.
TERIUGA sunt quae respondent secum ordine trino: Τρίκωλον.
— Si neque divitiis polles, neque corpore praestas,
Nec corde exuperas, cur te dicam esse beatum?
Fit DEPICTIO, cum verbis ut imagine pingo: Χαρακτηρισμός.
— Pocula serta tenens flexa cervice iacebat
Liodes, gravis obtutu, madido ore renidens.
Est CORRECTIO, cum in quodam me corrigo dicto: Ἐπιτίμησις.
— Nam tarde tandem, tarde dico? immo hodie, inquam.
Vel sic: — Non amor est, verum ardor, sed furor iste.
Fit PRAEOCCURSIO, si reddas priu' posteriori; Προϋπάντησις.

---

122. illa et 126. Regnat ibi, et puncti regnant suffragia volgi.
130. Πρόθεσις. 134. meritos 'st ultus *omissa*. 138. dementia natûm.
149. Nam: — 150. istud.

Ut pluvias cernis nolle istos accipere illos
Arantes cupiunt imbrem noluntque viantes
ΑΝΑΣΤΡΟΦΗ. Esse reversio et in prosa solet ut fit in istis
Pausillam occultam male quod vult praecipit in n
Troianos facit ire ut divus homerus aves ut
ΥΠΕΡΒΑΤΟΝ. Transcensus porro et cum interposita pendula claudo
Atque ego quod negat hic vivis ius eripit omne
Fas abolet laedet leges haec omnia mitto.
ΑΝΤΕΝΑΝΤΙΩΣΙΣ. Exadversio fit minimis si maxima monstres
Non parva est res qua de agitur sed proxima res est
Ut dictust aiax non in fortissimus graium
ΖΕΥΓΜΑ. Nexum est si varias res no nectimus verbo
OEbalon ense ferit lycon astapidason arci
Nunc medius fuerit et fini pote principioque
ΜΕΤΑΒΟΛΗ. Si verbum variae mutes variatio fiet
Quis non propter te dilexit quando aliquem tu
Iussisti quas res gessisti cur ita abundas
ΑΛΛΟΙΩΣΙΣ *aut* ΥΠΑΛΛΑΓΗ. Fit mutatio multis modis bello Africa flagrat
Afros cum dicas bellare et tempora quando
Et casus numerosque figurando variamus
ΕΛΛΥΨΙΣ. Fit defectio cum verbum quad subtraho grate
De fit curat enim nemo nec corrigit hanc rem
Sed culpat quippe hic quisquam subtrax grate
ΠΛΕΟΝΑΣΜΟΣ. Exuperatio fit quod causa appono decoris
Cum vacat ut quarta vix demum exponimur hora
Saucius ille leo quia vim pote tollere et ille
ΠΕΡΙΦΡΑΣΙΣ. Est au. circum illa locutio bucera saecla.
Fac discas pro disce et pro dic dice loquendo
Si plenum comules at significatio fiet
ΠΡΟΣΔΙΑΓΡΑΦΕΣΙΣ. Ut mihi non placet hoc animo quippe animo aufer
Et nihilominus est plenum verum auxerit illum.

EXPLICIT.

Ut: — Pluvias cernis nolle istos, accipere illos;
Arentes cupiunt imbrem noluntque viantes.

Esse REVERSIO et in prosa solet, ut fit in istis: 'Αναστρο-
— Pausillam occultam male quod vult praecipiti in re. φή.
— Troianos facit ire, ut divus Homerus, aves ut.

TRANSCENSUS porro est, cum intersita pendula claudo: 'Υπέρβα-
— Atque ego, quod negat hic cuivis ius, eripit omne, τον.
Fas abolet, laedit leges, haec omnia mitto.

EXADVERSIO fit, minimis si maxima monstres: 'Αντεναν-
— Non parva est res qua de agitur — sed proxima res est. τίωσις.
Ut dictust Aiax — Non infortissimu' Graiûm.

NEXUM est, si varias res uno nectimu' verbo: Ζεῦγμα.
— Oebalon ense ferit, Lycon hasta, Pedason arcu.
Nunc medium *ferit* et fini pote principioque.

Si verbum varie mutes, VARIATIO fiet: Μεταβολή.
— Quis nos propter te dilexit? quando aliquem tu
Iunxisti? quas res gessisti? cur ita abundas?

Fit MUTATIO multimodis: — Bello Africa flagrat — 'Αλλοίωσις
Afros cum dicas bellare, et tempora quando *aut* 'Υπαλ-
Et casus numerosque figurando variamus. λαγή.

Fit DEFECTIO, cum verbum, quod subtraho grate, Ελλειψις.
Defit: — Curat enim nemo nec corrigit hanc rem,
Sed culpat. — Quippe hic *quisquam* subtraximu' grate.

EXUPERATIO fit, quod causa appono decoris, Πλεονα-
Cum vacat, ut: — Quarta vix demum exponimur hora; σμός.
— Saucius ille leo; — quia *vix* pote tollere et *ille*.

Est autem CIRCUM illa LOCUTIO: — bucera saecla. Περίφρα-
— Fac discas — pro disce; et pro dic — dice loquendo. σις.

Si plenum cumules, ASSIGNIFICATIO fiet,
Ut: — Mihi non placet hoc animo. — Quippe hic *animo* aufer, Προσδια-
Et nihilominus est plenum; verum auxerit illud. σάφησις.

EXPLICIT.

---

155. Pausillam occultam, male quod vult, praecipit in re. 157. pendulu' laudo. 158. vivis 162. — Ut dictu 'st Aiax non ni fortissimu' Graiûm. 165. Nunc medium fieri ex fini 168. Iussisti 180. Προςδιαγράφεσις. 181. Quippe animo aufer

ANNOTATIO.

ANNOTATIO.

Vers. 3. *„Je crois qu'il faut ici insérer* et. *Le sens est que la période se compose d'incises et de membres de phrase. Tous les grammairiens émettent ce principe; mais ils diffèrent sur la définition du* κόμμα *et du* κῶλον. *Quintilien (IX, 4, 22. et 122) est celui qui semble le rapprocher se plus de notre auteur."* QUICERATUS. Ascripsi quae Alexander Rhetor praemittit libello suo περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων. Is igitur VIII, p. 460. Walz. haec disserit, quae eximie conveniunt cum decretis nostri magistri: Ἐπεὶ, ὡς ἂν εἴποι τις, τὰ πρῶτα καὶ ἀνωτάτω σχήματα τῆς λέξεώς ἐστι περίοδος καὶ κῶλον καὶ κόμμα — διὰ τούτων γὰρ πᾶσα λέξις πλέκεται καὶ συντίθεται — τί ποτ' ἐστὶν ἕκαστον τούτων προεροῦμεν. Περίοδος μὲν οὖν ἐστι λόγος ἄνευ περιγραφῶν καὶ κώλων, συνθέσει αὐτοτελῆ διάνοιαν ἐκφέρων, ὡς ἔχει τὸ τοιοῦτον· Ἀνὴρ γὰρ ἰδιώτης ἐν πόλει δημοκρατουμένῃ νόμῳ καὶ ψήφῳ βασιλεύει. Περίοδος δὲ ἀπὸ τοῦ περιοδευομένως οἷον κύκλῳ τὴν διάνοιαν ἐκπλέκειν. Κῶλον δ' ἐστὶ περιόδου μέρος· ὃ λέγεται μὲν καθ' αὐτό· ἀντικείμενον δὲ πληροῖ περίοδον. Αὐτὸ μὲν οὖν καθ' αὐτὸ κῶλόν το τοιοῦτόν ἐστιν· Ἀνὴρ γὰρ ἰδιώτης. Κατὰ δὲ τὸ ἀντικείμενον οὕτω γίνεται σύνθεσις κώλων· Ἄτοπον δ' ἐστὶ, σὲ μὲν ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις, ἐμὲ δὲ ἐν τοῖς ἰδίοις ἀπορεῖσθαι. Κατὰ δὲ τὸ παρακείμενον οὕτω· Καλὸν γὰρ καὶ τοὺς φίλους εὖ ποιεῖν καὶ τοὺς πολίτας διαπαντός. Κόμμα δ' ἐστὶ τὸ κώλου καὶ περιόδου ἔλαττον. Λαμβάνεται δὲ καὶ κόμμα καθ' αὐτό, καθάπερ ἔχει τὰ τοιαῦτα· Γνῶθι σαυτόν μέτρον ἄριστον κτλ.

— 5. Transtulit auctor ex oraculo illo apud Herodotum I, 66.

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς· μέγα μ' αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.

Alios locos veterum scriptorum indicavit *LEUTSCHIUS* meus ad Diogenian. Provv. II, 69. Addi potest Alexander Rhetor VIII, p. 446. Walz., qui Epanalepsis exemplum ponit: ὡς καὶ νῦν ἐν τῷ χρησμῷ· Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς· οὔτοι δώσω, δώσω τοι Τεγέην.

— 7. 8. Est sententia nobilissima Catilinae Sallustiani XX, 4. „Nam idem velle atque idem nolle, ea demum fir-

ma amicitia est." Unde *his* ab editore Francogallo incuriose transmissum correximus. Idem quod in fine versus septimi puncto distinxit, ipsum sententiae tenorem non perspectum habuisse arguit. — Ceterum alterum illud *idem* apud Sallustium ex auctoritate paucorum librorum sustulit Cortius. Cui iudicio erunt qui ex nostro scriptore fidem accedere arbitrentur. Non ego.

— 9. „Ora *pris dans l'acception que Virgile lui a donnée, d'après Ennius, dans ce vers: Aen. IX, 528.*

Et mecum ingentes oras evolvite belli.

Servius l'explique ainsi: „Narrate non tantum initia, sed etiam extrema bellorum; nam *orae* sunt extremitates." *Ici c'est la circonscription de la phrase.*" QUICERATUS. Idem vir doctus cur *peri quem dicunt odon* correxerit, idoneam caussam desidero.

— 10. „Tetracolon. *C'était un principe admis par tous les rhéteurs, que le développement ordinaire de la période devait admettre quatre membres de phrase.* „Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quattuor fere partibus quae membra dicimus." Cicero Orat. LXVI, 221. „Habet periodus membra minimum duo; medius numerus videtur quattuor; sed recipit frequenter et plura." Quintilianus IX, 4, 124. *Et le grammairien Rufin, d'après ces autorités:* Quattuor e membris plenum formare videmus Rhetora circuitum; sic ambitus ille vocatur. *Voy.* Putsch. p. 2714." QUICERATUS. Rursus congruunt haec Alexandri p. 461. Γίνεται δὲ περίοδος καὶ τετράκωλος. — Συντίθενται δὲ καὶ ἐκ πλειόνων κώλων περίοδοι, ἀλλ' ἐκβαίνουσι τὴν συμμετρίαν καὶ οὐκ ἔτι περιόδων, ἀλλὰ διεξοδικῶν λόγων ἔχουσι τάξιν. — Qui *adusque* postposuerit novi neminem; qui *abusque* unum Tacitum Annall. XV, 37. „Oceano abusque." Utraque complexio veteribus Grammaticis *abusive* vel *licenter admissa* videbatur, v. Servius in Virgil. Aen. VII, 289. XI, 262. Nec reperitur apud poetas Horatio vetustiores teste *HANDIO* Tursellino I, p. 189.

— 12. Ἀνάκλασις. „*Ordinairement* ἀντανάκλισις." QUICERATUS. Sic enim extat apud Quintilianum loco paullo post citato. Libri tamen antiquissimi ἀντεπεκδοσις vel ἀντιπεκδοσις. Rutilii ἀνάκλασις quid reliquerit Quintilianus commonet. Vide etiam *SPALDGINIUM* in notis criticis IX, 3, 97. — Gesnerus ad Rutil. Lup. l. c. „Quasi tu refractionem dicas, aut *reflexionem* repercussionemve."

— 13. 14. *Cet exemple est celui qu'ont cité Rutilius Lupus* (I, 5.) *et d'après lui Quintilien* (*IX, 3, 68*) *et Isidore de Séville* (Origg. II, 21, 11.). *Voici le texte même de Rutilius:* „ANACLASIS. Hoc schema fieri solet cum id quod ab altero dictum est, non in eam mentem quae intelligitur, sed in aliam *aut contrariam* excipitur. Huiusmodi est vulgare illud Pro-

culeianum. Proculeius cum filium suum moneret et hortaretur, audacter ex bonis suis sumptum faceret quas in res vellet atque opus esset, nec tum denique speraret libertatem licentiamque utendi futuram, cum pater decessisset, cui vivo patre promiscue omnia licerent; filius respondisset, non esse opus saepe eadem oratione moneri, *nec se patris mortem expectare*; cui Proculeius pater subiecit: *Imo vero, minime meam mortem expectes, nec properes moliri ut velocius moriar.*" QUICERATUS. —

Non obtrusisset vir doctus scriptori nostro istum soloecismum *Imo haud exspectes*, si vel emendatius exemplum Rutiliani operis consuluisset vel Quintilianum esset secutus. Cuius haec sunt: „Cui (παρονομασίαν dicit) confinis est ἀνάκλασις, eiusdem verbi contraria significatio. Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam *expectaret*, et ille dixisset, *se vero non expectare*: *Immo*, inquit, *rogo expectes.*" Apud Rutilium Ruhnkenius huic exemplo, quippe quod Romanum sit, cum Rutilius Gorgian secutus nonnisi Graecis utatur, litem intendit idque vel ex Quintiliano vel potius ex alio rhetore latino, qui perierit cum aliis multis, inculcatum opinatus est. Qui quomodo locum corruptissimum sanaverit apud ipsum legas. Postrema, quae sola huc faciunt, sic scribenda iudicat: „Cui Proculeius pater subiecit: *Immo vero*, inquit, *velim meam mortem expectes, nec properes moliri, ut velocius moriar.*"

— 16. „*Rutilius Lupus:* Item Theophrastus dicitur dixisse: ‚Prudentis esse officium amicitiam probatam appetere, non appetitam approbare." *De Figur.* I, 5. (I, 6. potius.); *mais il donne à tort cette sentence comme exemple d'anaclase.*" QUICERAT. Rutilius, cuius codices omnes initio §. 6. lacuna foedati sunt, illa neque tanquam Anaclaseos, ut Quicerato, neque Epanodi, ut cum Vossio Ruhnkenio visum est, exemplum profert, sed ἀντιμεταβολῆς; id quod satis patet ex scriptore nostro. Quanquam, si fides fragmento Rutilii Schoepferiano, ille *Metathesis* nomine uti maluit. Profecto mirum. Vide de isto fragmento *FR. IACOBUM* in Animadverss. Critt. in Rutil. Lup. p. 27 sq. — Noster autem quam presse sectatus sit Theophrasti verba ipsius, non Rutilii translationem, ostendit Plutarchus De Fratern. Am. II, p. 482, B. Τοὺς ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν. Hinc ille idem verbum *cernendi* ea potestate usurpavit, qua solebant vetustiores Augusteo aevo scriptores. „*Crevi*, iudicavi" Paulus Festi p. 53, 8. *MUELLER.* Verbo admoneo, nostrum quoque auctorem docere, quam prave Ruhnkenius *non* voculam ante voc. *appetitam* tollendam esse disputaverit. De figura dixit Quintilianus IX, 3, 85. et Alexander Walzii VIII, p. 480.

— 17. „*Ce vers est bien malade*; je ne crois pas qu'il

soit permis de le restaurer autrement qu'en répétant tempus abest *négativement.*" QUICERATUS.

Edidit igitur:

Quod queo, tempus abest; quin tempus abest, nequeo, inquit.

Quo, quaeso, ἀντιμεταβολή? Certissima correctio nostra. Profecit magister ex dicto Isocrateo apud Plutarchum Vitt. X Oratt. p. 838, F. Ἑστιώμενος ποτὲ παρὰ Νικοκρέοντι τῷ Κύπρου τυράννῳ, προτρεπομένων αὐτὸν τῶν παρόντων διαλεχθῆναι, ἔφη, οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ νῦν καιρός· οἷς δὲ ὁ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ δεινός. Quod exemplum a Graecis rhetoribus crebro usurpatum esse monstrat Alexander Walzii VIII, p. 480. loco vitioso illo quidem, sed quem nullo negotio redintegres ipse: Ἡ ἀντιμεταβολὴ γίνεται, ὅταν ἐν τῷ πρώτῳ καὶ δευτέρῳ κώλῳ τῆς περιόδου τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρησώμεθα, τὰ ἐν ἀρχῇ εὐτελῆ τεθέντα * ἐπὶ ταύτης ἀπολίπωμεν, ὡς Ἰσοκράτης παρακαλούμενος ἐπάρξασθαί τι παρὰ πότον εἶπεν· Οἷς μὲν γὰρ ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ παρὼν καιρός· οἷς δ' ὁ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ δεινός. Adde Maximi Planudae scholia in Hermogenem T. V, p. 543. Walz. Neque aliunde manasse putanda sunt haec Auctoris ad Herenn. IV, 28, 39. „*Commutatio* est, cum duae sententiae inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore posterior, contraria priori, proficiscatur, hoc modo: Esse oportet, ut vivas; non vivere, ut edas. Item: *Ea re poemata non facio, quia, cuiusmodi volo, non possum; cuiusmodi possum, nolo.*" — Ceterum magistrum nostrum torsit elegantia dicti Graeci. Alterum enim *quod*, quo carere non poterat, duriusculum est.

— 18. Quod vocabulum tacite in locum corruptae vocis ΑΜΟΙΣΙΣ suffecit editor ἀμοίβησις, id totum redono parenti. Ἀλλοίωσιν debebat. Rutilius II, 2. »ALLOEOSIS. In hoc schemate divisio et separatio est personarum aut rerum, et demonstratio, quantum intersit. *Hegesiae:* Diversa studia adolescentium animum adverteramus, tametsi fratres erant, uno atque eodem sanguine orti. Alter in stadio laudis versabatur et industria virtutis viam gloriosam, sed laboriosam sequebatur: alter in augenda pecunia occupatus et habendi cupiditate depravatus, summas divitias summam virtutem existimabat. Hic nimirum magis erat laboriosus, qui laborem condendi, non utendi causa suscipiebat." Ad quae respicit Quintilianus IX, 3, 92. „*Mutatio,* si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorum. Quae si latius patet, figura non est; si angustius, in ἀντίθετον cadet. Si vero haec appellatio significat ὑπαλλαγήν, satis de ea dictum est." Illic quoque in optimo codice ΑΜΟΙΟΣΙΝ conspicitur.

At, inquit, ἀλλοίωσιν infra ponit artigraphus noster versu 169. Audio. Verum eo loco ὑπαλλαγῆς appellationem iccirco

adiunxit, ne quis hanc prius usurpatam figuram cum inferiore confunderet. Apparet enim ex ipsius Quintiliani verbis, *mutationis* significationem non unius fuisse figurae propriam et peculiarem. — *Differitas* vox Lucretiana (IV, 637.) ab Arnobio ex mortuis resuscitata.

— 19. QUICERATUS scite laudavit Ciceronem pro Muraena IX, 22. „Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat; *te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat*; tu actionem instituis, ille aciem instruit" et quae sequuntur. Eadem verba in *comparationis* exemplum excitavit Quintilianus IX, 2, 100. cll. IX, 3, 32.

— 22. 23. Mirifice fallitur editor, qui hos versus in tria exempla diversa et a se separata conciderit. Verba mutuatus est rhetor ex celebratissimo illo loco Demosthenis de Coron. p. 315. Rsk. Ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δ᾽ ἐφοίτων· ἐτέλεις, ἐγὼ δ᾽ ἐτελούμην· ἐχόρευες, ἐγὼ δ᾽ ἐχορήγουν· ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ᾽ ἠκκλησίαζον· ἐτριταγωνίστεις, ἐγὼ δ᾽ ἐθεώρουν· ἐξέπιπτες, ἐγὼ δ᾽ ἐσύριττον. Hinc collabuntur simul ea quae QUICERATUS p. 57. de verbis: *tu scriba, ego censor*, commentatur in hunc modum: *„Cette antithèse n'est-elle pas encore plus significative? Elle me frappe d'autant plus qu'elle semble être un exemple donné* ex abrupto *par l'auteur lui-même du traité. Or, une pareille phrase serait-elle venue sous sa plume s'il avait écrit plus tard qu' Auguste, après que Tibère eut aboli l'office et le nom de censeur?"* — Ceterum eodem ἀντιθέτου exemplo utuntur Tiberius Rhetor VIII, p. 569., Alexander p. 479. aliique.

— 25. Rutilium II, 19. attulit QUICERATUS, sed ut perperam Lycurgi oratoris verba exhiberi affirmaverit. Quem a R. Stephano importatum extrusit Ruhnkenius. Locus hic est: „AETIOLOGIA. Hoc schema efficitur ratione brevi et sententiosa, ita ut quod dubium est visum, ad certam fidem adduci videatur. „„Quod vobis, Athenienses, in suadendo assentiuntur, vos fallere possunt. Nam dictum ad voluntatem auditoris obscuratum erat quaestione utilitatis. Sed ab iis qui suadent quod vobis [non] iucundum est, decipi non potestis. Non enim sententias vestras valent commutare, nisi vobis evidens bonum sui consilii patefecerint."" *Item eiusdem: „„Etsi acerbum vobis quod dicturus sum videbitur, tamen aequo animo audiendum est. Nam fere verum consilium, quod initio auditu grave est, in posterum cognita utilitate fit iucundum.""* Non respondent ea quae Alexander habet p. 438 sq — *Namvero* novum est, *enimvero* notum.

— 27. Ἀνθυποφορᾶς nomen recte restituisse QUICERATUS videtur. Vide de hac figura quos testes citat *ERNESTIUS* Lexico Technol. Graec. p 24. Reliqua obscuriora. Aegre transscribo quae alleyit QUICERATUS: *„La définition et l'exemple sont aussi obscurs l'un que l'autre; mais la déno-*

mination grecque indique la figure communément appelée subjection" (debebat *suggestionem* dicere, ut apud Quintilianum IX, 2, 15. ex libris restitutum est: *oppositionem* vel *obiectionem* maluit Iulius Rufinianus 4. p. 269. Ruhnken.) „*et l'on peut au moyen d'une légère correction introduite dans le troisième vers, retrouver dans le second une phrase subjective.* Claudes *étant substitué à* Laudes, *le sens sera:* »sed moveas te, et, quanquam lucifugus homo es, in medio sis audax; attamen claudicabis (*sic!!*), utpote qui cogaris, ob alterius vitium, utrumque pedem impeditum trahere." *L'orthographe* obtigere *pour* obtegere *est dans les plus anciens manuscrits.*" Ego nomen Ladae, nobilissimi cursoris, de quo locos veterum indicant *IACOBSIUS* Anth. Gr. III, 2. p. 85. et *HEINRICHIUS in Iuvenal. XIII, 97.*, sub *Laudes* illo latere hariolabar. Nihil extrico, nisi quod alterum versum ab altero segregasse satius visum est. Qui ludere volent, ita poterunt: *Ladas invictus: cui pes malus, optimus ambos?*

— 31. *Dare damnum* dixit Terentius Andr. I, 1, 116, ubi videndus *RUHNKENIUS*.

— 32. Demetrius de Elocut. CCLXVIII., Tom. IX, p. 110. Walz. Ἀναφορὰ εἴρηται διὰ τὸ τὴν αὐτὴν λέξιν ἐπαναφέρεσθαι ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἀρχήν. Exemplum fictum est ad versus illos incertae fabulae Aeschyleae apud Platonem Reip. II, p. 383, B. (fr. 266. Dindorf.) Poeta Thetidem de Apolline, qui ipsius nuptias concelebraverit, querentem facit inter alia haec:

Ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν θοίνῃ παρών,
Αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν
Τὸν παῖδα τὸν ἐμόν.

Quibus non ad amussim quidem, sed respondent tamen verba magistri nostri. Et iam Graeci rhetores paullulum variaverant. Docet Phoebammo Walzii VIII, p. 517 sq. Καὶ ἡ ἐπιβολὴ συνεμπίπτει ἀναφορᾷ· καὶ αὕτη γὰρ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀναφέρει, ὡς τὸ Σοφοκλέους·

Ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν γάμοις παρών,
Αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανών.

Ubi Sophoclis nomen crebro cum Aeschyli confusum ignorat codex Parisinus, qui vulgare illud οἷον suum praemittit. Scriptor autem noster utramque videtur scripturam, et ἐν θοίνῃ et ἐν γάμοις, ob oculos habuisse. Alterius vestigium *epulans* ostendit, altera subest verbis *ipse exponens laeta omnia nuptae.* Nisi forte priorem quoque Thetidis orationem ipsi cognitam fuisse ponis:

Ξύμπαντά τ' εἰπὼν θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας
Παιᾶν' ἐπευφήμησεν, εὐθυμῶν ἐμέ.

Utut est, alterius versiculi *Ipse patrem prolemque canens* de suo largitus videtur auctor, de perpetuitate sententiae securus.

— 35. DESITIO ad normam reliquarum appellationum novavi. *Addatur Lexicis.*

— 36. Rutilius I, 8. »EPIPHORA. Inter hoc schema et superius (EPIBOLEN) hoc interest, quod in superiore unum verbum pluribus sententiis anteponitur, in hoc autem omnium sententiarum unum atque idem novissimum verbum. SOSICRATIS: »Non enim alius quis est cuius opera in has difficultates inciderimus: sed initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus, deinde in ipso belli labore ac periculo deseruit nos Philippus, novissimus nunc calamitati nostrae proinde atque culpae succensuit idem Philippus." Ἀντιστροφήν hanc figuram vocat Alexander p. 464.

— 38. Ut *assit* facilis emendatio erat, ita de necessitate valde dubitandum. Ego hoc prisci vestigiis ruris accenseo. Similia exempla hiatus collegit *GRAUERTUS* post *KOENII* librum de Serm. Poett. Epp. p. 284. — Rutilius I, 9. ab QUICERATO laudatus: »COENOTES. Hoc duorum superiorum schematum coniunctionem habet: quod et ab uno verbo omnes sententiae incipiunt et in uno novissimo acquiescunt. STRATOCLIS: Quaeritis novam rationem administrandae reipublicae? at reperire meliorem, quam a maioribus accepistis, non potestis. Quaeritis maximis sumptibus faciendis, quomodo ne tributa conferatis? at consiliis captas aerarii opes quas cupitis augere non potestis. Quaeritis, quemadmodum scelere contaminatis hominibus parcatis? at ignoscendo nocentibus innocentium salutem custodire non potestis." Eandem figuram Alexander p. 464. συμπλοκὴν ἢ σύνθεσιν nominat cum aliis.

— 41. *Replicationem* dicit etiam Aquila Romanus 32. p. 174. Ruhnken., *duplicationem* Iulius Rufinianus de Schem. Lex. 7. p. 232.

— 42. 43. QUICERATUS p. 63. „*Ceux-là m'ont paru si caractérisés, que je me hasarderais presque à nommer leur auteur. Ainsi les deux suivants m'ont rappelé Ennius:* Ibo sqq. *C'est la même énergie primitive, la même recherche de sauvages concetti. Je suis d'autant plus porté à croire ces vers d'Ennius, que je trouve dans l'un de ses fragments le même rapprochement de* ferum ferrum:

Proletariu' poplicitus scuteisque feroque
Armatur ferro." —

Immo vero scholarcha transtulit verba Hectoris in Achillem iacta Iliad. Y, 371 sq.

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Ad quos versus hoc est Aristonici scholium: πρὸς τὴν ἐπανάληψιν, ὅτι ἐν Ἰλιάδι συνεχῶς, ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ ἅπαξ (Odyss. A, 22.). Quam observationem a Separatistis identidem inculcatam constat. Eandem figuram ἐπαναστροφήν Hermogenes p. 361., ἐπανάλη-

ψιν vocat Alexander p. 444., qui et ipsi locum Homericum usurpant. Ceterum idem p. 446. eorum meminit quibuscum fecit noster: Τοῦτο δέ τινες ἰδίως ἀναδίπλωσιν λέγουσιν, ὅταν τὸ δεύτερον λεγόμενον ἄρχηται ἀπὸ τῆς τοῦ προηγουμένου τελευτῆς, ὡς Σοφοκλῆς (Electrae v. 1168 sq.)

Ὦ φίλτατ', ὥς μ' ἀπώλεσας,
Ἀπώλεσας δῆτ', ὦ κασίγνητον κάρα.

Ex eodem Alexandro etiam illud explicatur, cur scriptor noster versu 65. praeter hanc figuram ἐπανάληψιν commemoraverit. Diversam esse volebat ille quidem indicare, sed syllabae contumaces versus heroici repugnabant. Etenim post allatos versus Homericos addit Graecus: Ταῦτα μὲν οὖν ἀνείληπται μηδενὸς αὐτῶν μεταξὺ τιθεμένου μορίου· ἔστι δὲ ὅτι ἐπαναλέγεται μὲν τὰ ὀνόματα, οὐκ εὐθὺς δέ, ἀλλὰ μέσα τινὰ παρεμβάλλεται, καθάπερ ἔχει τὸ τοιοῦτον· Ἦν ποτε, ἦν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι κτλ. Utramque speciem suo loco posuit Latinus. Ad idem schema cum recurrit Alexander p. 462., a Caecilio — nam *Carcinum* recte exturbavit *NORRMANNUS* — παλιλλογίαν, a quibusdam ἀναδίπλωσιν, ab aliis ἐπανάληψιν vocatum fuisse tradit. Adde Tiberium Rhetorem p. 554 sq.

— 44. Rutilium II, 8. apposuit QUICERATUS. Verba haec: „BRACHYLOGIA. Hoc fieri solet, cum orator brevitate sententiae praecedit auditoris expectationem. — LYSIAE: „*sed vos aequum est voluntatem dispicere. Nam consilio valuit, fortuna lapsus est*; *homo fuit, fatetur.* Concedendum, non omnia posse; hoc enim deorum est proprium." De activa forma verbi *contemplandi* ad Nonium p. 7, 11. (p. 469, 31. Mercer.) remittit QUICERATUS. Idem scite restitutum a se *bene saepe* vel *iam saepe* defendit auctoritate Ennii apud Gellium Noctt. Att. XII, 4.

Hocce locutu' vocat, quicum *bene saepe* libenter
Mensam sermonesque suos rerumque suarum
Comiter impertit.

Nec aliud exemplum novit *HANDIUS* Tursellin. II, p. 3.

— 47. Rutilii I, 12. explicationem amice concordare QUICERATUS monuit. Verba sunt: „DIAPHORA. Hoc schema est, cum verbum iteratum aliam sententiam significat, ac significavit primo dictum. Id est huiusmodi: „„Hunc tu frater eiusdem sanguinis particeps, in hac fortuna deserere potuisti, cuius aerumnae quemvis etiam *extrarium hominem, modo hominem,* commovere possent? —""

— 48. Comparari potest cum exemplo quod hoc versu exhibuit scriptor — nam separandum esse a proximo statim disputabo — iambus ille Alexandri p. 479. (capite περὶ ἀντιμεταθέσεως ἢ συγκρίσεως ἢ πλοκῆς): Ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος ταῖς αὐταῖς λέξεσι χρώμενοι πλεονάκις ἕτερα σημαίνομεν, ὡς ἔχει τὰ τοιαῦτα·

Ὡς χάριέν ἐστ' ἄνθρωπος, ὅς τ' ἄνθρωπος ᾖ.

Eundem habet Phoebammo p. 517. Idem p.500. Ὁ ἄνθρωπος ἄνθρωπος ἐστίν.

— 49. Hunc versum infeliciter tentavit QUICERATUS, qui non sensisset, a priore dirimendum esse. Scripsit enim:

nolit,
Esse homuli vere mulier, scelera omnia in hoc sunt.

his additis: „*Je ne doute pas de la restitution* esse homuli. *La forme ordinaire du diminutif est* homullus, *mais Priscien autorise* homulus *d'après Cicéron:* „Cicero in Pisonem: Homulus et ex argilla et ex luto fictus. Leno, lenunculus vel lenulus." Institut Gramm. III, 3. —

Ab his nugis vel Rutilii verba avocare debuerant, quae incuriosior editor transmisit, haec: „*Item:* Universum mulierem: quid potius dicam aut verius, quam mulierem?" Ubi similia *RUHNKENIUS*. Euripides Bellerophontis fr. XII. p. 109. Matthiae.

Ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
Μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;

Ad hunc sensum scripturam versus nostri attemperavi. Verba *in hoc*, i. e. *in hac compellatione*, respondent illis *quid potius dicam aut verius?*

— 50. Πολυσύνδετον reliqui, cum πολυσύνθετον ediderit QUICERATUS. Sic enim voluisse auctorem fidem facit *Multiiugum* ipsius. Rutilius I, 14. POLYSYNTHETON. „Hoc schema efficitur, cum sententiae multorum articulorum convenienti copula continentur. PYTHEAE: Ille hunc catena constrictum trahebat, hic *autem* vociferabatur. Concursus *vero* non mediocris, cum *tamen* omnes opitulari vellent, *sed* nemo auderet. *Neque* ibi magistratus aderat, *nec* circumspicientes, quo potissimum confugeremus, reperiebamus; *sed* uno tempore nos *et* praesens *et* futurum malum perturbabat. *Nam* praesens tempus acerbitatis erat plenum, reliquum *vero* timoris."" Ibi quoque Gesnero obtemperandum fuerat POLYSYNDETON corrigenti. Confer Quintilianum IX, 3, 50 sq. Contra, ut hoc praeteriens notem, apud Charisium IV, 6, 6. p. 250. Putsch., p. 167. Lindem. Ἀσύνθετον corrigo. Verba sunt: „Ἀσύνδετον est, cum pluralis dictio singulari verbo concluditur, ut:

Hic illius arma,
Hic currus fuit.

Debuit enim dicere: hic illius arma fuerunt." Idem mendum tolle ibid. IV, 6, 1. p. 249. Putsch., p. 166. Lindem. et in indice libri quarti.

— 52. QUICERATI scriptura *in peregri* quo sponsore defendi possit frustra quaeras. Reposui *peregri*. Charisius II, 168 p. 189 Putsch., p. 126 Lindem. docet exemplis Plauti,

Naevii atque Titinnii, hoc ita differre ab eo q. e. *peregre*, ut hoc dicamus, cum abeat quis in locum; *peregri*, cum in loco sit. Vide *HARTUNGUM* de Cass. p. 182. 191. 206. Exemplum ex Demosthene Aeschineve petitum videtur.

— 52. QUICERATI *abrumpere tentet* vix putarim verum esse. *Tentare* enim vetustissimus quisque *temptare* scribit. Ex qua scriptura aegre intelligas quomodo vulgata nata sit. Credo *abrumpere adiret* reliquisse auctorem, vel *iniret*.

— 53. »*Ordinairement* διάλυτον *ou* ἀσύνθετον.” QUICERATUS. Volebat ἀσύνδετον. *Dissolutionem* vocat Quintilianus IX, 3, 50., *dissolutionem* vel *inconnexionem* Iulius Rufinianus de Schem. Lex. 18. p. 240., v. *ERNESTI* Lexic. Technol. Rom. p. 131. Item ἀσύνδετον vel διάλυσιν Alexander p. 469. Apud unum Demetrium CCLXXI. p. 111. σχῆμα τὸ διαλελυμένον reperio.

— 54. Γνῶθι σαυτόν. — Ad sequentem versum haec est mira annotatio QUICERATI: »*Vers tout à fait incomplet. Je suppose, pour la symmétrie de la figure, qu'il y a un impératif caché sous* illum. *Je le construirais ainsi:*

Et: — Priu' verba time, pende, illinc quaelibet una.

Illinere *dans le sens d'effacer, de même qu'on dit* inducere. *Mais la lettre du manuscrit ne justifie pas assez cette correction.*” Novissimis subscribo.

— 56. Coniiciebam Διερριμμένον. Sed *diaeresin*, quam vertit *distributionem* vel *designationem* vocat Iulius Rufinianus de Schem. Lex. 21. p. 242. eam figuram, »cum fit rerum distributio, ut:

Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles,
Classibus hic locus, hic acies certare solebant,”

Virgilii Aeneid. II, 29. Quare acquiesco in ea scriptura quae debetur QUICERATO. Idem cum *dispessum* suum defendit auctoritate Gellii N. A. XV, 15. »Plautus in *Milite Glorioso* (II, 4, 6.) ā littera in ē mutata, per compositi vocabuli morem *dispessis* dicit, pro eo quod est *dispassis*,” aut erravit aut, si a *dispandendi* verbo descendere formam illam intellexit, id obtrusit scriptori suo, quod is scribere non videtur potuisse. Mihi a verbo *dispartiendi* videtur scriptor ausus esse formare *disparsum* et a *partiendi* *parsum*. Similiter *pessumdare* et *pessum ire* idem est quod *perditum dare*, *ire*.

— 57. Versus expressit ex Homero Iliad. Γ, 236 sqq.

Δοιὼ δ' οὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ.

Confer Odyss. Λ. 300. Theocrit. XXII, 1. Arnobius contra gentes I, 10. »Tyndaridae Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugilator bonus.”

— 58. „Caestu? *mais le membre de phrase serait construit sur un double ablatif; j'aime mieux* caestûm *par syncope; au génitif pluriel du vieux mot* caestus, i, *employé par Varron, dans* Nonius VIII, 71. (p. 492, 8. Mercer.)" QUICERATUS.

— 59. Quis sibi persuadeat, διέξοδον vocari potuisse figuram illam *percurras cum singula raptim*? ἐπιτροχασμός debebat. Etenim plane contrarium habet intellectum apud alios scriptores ista appellatio. Opponitur enim συντομίᾳ, v. *SPALDINGIUM* in Quintilianum IX, 3, 87. Ut aut excidisse alteram figuram, aut scriptorem non satis recte cepisse Graecum magistrum suspiceris. Sed illud praefero. Ἐπιτροχασμός *percursio* est Aquilae Romano 6. p. 147.

— 60. 61. QUICERATUS: „*L'auteur du manuscrit semble avoir hésité sur la lecture du mot* non, *et l'* o *qu'il a écrit ressemble presqu' à un* a; *il s'est mal tiré de la difficulté puisque son vers est faux. Je ne doute pas qu'il ne faille lire* inveniet *en un seul mot, et couper la phrase après, pour lui donner la rapidité qu'exige la définition; mais* vim non *cache un mot que je ne puis deviner. La fin du vers suivant n'est guère plus facile à démêler; si c'est* certare *qu'il faut lire,* minorem *devra être remplacé par* minori." Unde sententia prodiret ineptissima. Ego virgula ante *minorem* posita tolerabilem reddidi intellectum verborum. Sed priora non expedio. Et satius fortasse fuerit ab altero versu seiungere.

— 62. Rutilius I, 13. EPIPLOCE. „In hoc ex prima sententia secunda oritur, ex secunda tertia atque ita deinceps complures. Nam quemadmodum catenam multi inter se circuli coniuncti vinciunt, sic huius schematis utilitatem complures sententiae inter se connexae continent."

— 63. 64. Agnosco imitationem nobilissimi loci Demosthenici Or. de Cor. p. 288. Reisk. Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδ' ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐδ' ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ τοὺς Θηβαίους κτλ. Quo quidem loco *gradationis* exemplo utuntur alii Technici.

— 63. *suasi.* QUICERATUS: „*Diérèse qui se trouve dans Lucrèce, l. IV, 1153.*

Veneremque suadent,
Ut placent."

— 64. QUICERATUS: „*Le sens s'oppose à la substitution d'* induperavi. *C'est une ancienne forme d'* impetro *et qui demande sa place dans les glossaires à côté de ses analogues: indocoeptus, indogredi, indupedio, indupero, enduploro, endotueri.*" Alia eiusdemmodi habet *MUELLERUS* ad Paulum Festi p. 76. 77.

— 65. Ἐπανάληψις. Rutilius I, 11. Hoc schema fieri solet, cum id quod dictum semel est, quo gravius sit, iteratur. Id interdum fit uno verbo, interdum plurium verborum con-

iunctione" et q. rell. Vide quae supra ad versum 41. disputavimus. *Resumptionem* in re medica habet Cael. Aurel. Acut. II, 37.

— 66. Habuitne ante oculos scriptor idem exemplum quod affert Rutilius? Id hoc est: »PYTHEAE: Quid contra tot res tamque evidentes dicere potes, Demosthenes? *Cognitum enim est*, rempublicam venalem habuisse, *cognitum est.*"

— 67. Hic versiculus quid cum resumptione commune habeat non perspicio. Κλίμακος exemplum puto. Excidere quaedam.

— 68. QUICERATUS: »Optet, *à moins qu'il ne faille lire* ob te, *contre toi*, ob *dans le sens d'opposition qu'il a conservé dans les composés* obex, obviam *etc. et qu'il avait luimême autrefois:*

Ob Romam noctu legiones ducere coepit

Ennius, dans Festus."

Rutilius II, 17. »EPITROPE. Hoc fieri solet, cum alicui rei vehementer confidimus et nostro iure iudicibus largimur, ut quemadmodum videtur illis, constituant atque adeo pareamus." Adde Herodianum περὶ σχημάτων VIII, p. 602. Walz.

— 71. »*Ordin.* ἐπιφώνημα." QUICERATUS. Minime vero. Ἐπιφώνημα vulgo dicunt, *cum sententia in fine expositae rei cum affectu enunciatur* Iul. Rufinian. de Fig. Sent. et Eloc. 29. p. 217. Novo modo igitur locutus est scriptor, cum παρένθεσιν vel παρέμπτωσιν vel figuram διὰ μέσου potuisset. Quintilianus IX, 3, 23. »Illa quoque ex eodem genere possunt videri: unum, quod *interpositionem* vel *interclusionem* dicimus, Graeci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit, *Ego cum te — mecum enim saepissime loquitur, — patriae reddidissem.*"

72. 73. Cogitabam de Paride Iliad. Γ, 39 sqq., 64. 65. Sed non satisfacio. Obscurior obversatur memoria loci alicuius Euripidei.

— 74. Herodianus περὶ σχημάτων VIII, p. 603. Walz. Ἐπίζευξις ὅταν τὰ προκείμενα ὀνόματα διαλαμβάνοντες τὴν ἐπιφορὰν ἐκφαντικωτέραν ποιησώμεθα, οἷον· Θῆβαι δὲ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων, μεθ' ἡμέραν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνηρπάσθη. Sunt Aeschinis verba in Ctesiph. p. 72, 30. Reisk.

— 76. QUICERATUS: »*Ainsi Virgile*, Enéide I, 665. et XII, 57.

Nate, meae vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, etc.
Spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae.

Ce sont là de ces ressemblances desquelles on ne peut rien conclure."

— 77. Ἐπεκφώνησιν non novi qui dicat: ἐπιφώνησιν Macrobius Saturn. IV, 6. Nostrum autem exemplum eam habet speciem, quam σχετλιασμόν vocant Graeci magistri. Compara etiam Rutilium II, 1. Ceterum auctoris verba ab iis quae exemplum faciunt rectius seiunxi. QUICERATI scriptura corrumpit sententiam.

— 79. Verbum *sublimandi* ab Ennio et Catone tramissum Appuleiis et Macrobiis. Festus p. 306, 20. *Sublimavit dixit Cato, id est in altum extulit, Originum l. II. »In maxumum decus atque in excelsissimam claritudinem sublimavit.*" Vide *LION.* Catoniana p. 20. et *KRAUSII* Frgmm. Historr. p. 107.

— 80. QUICERATUS: »*Peut-être faut-il lire* parimembrium *qui satisfait à la mesure et en même temps se déduit assez naturellement des données paléographiques; mais je hasarde moins en supposant* par membrum, *sans élision de la finale. Voy. ci-dessus* p. 54." Ibi affert Ennii versum:

Insignita fere tunc milia militum octo.

Ascivi illud, ut exacte exprimeretur vox Graeca. De neglecta in altero elisione vide *HERMANNUM* Elem. Doctr. Metr. p. 61 sq., *GRAUERTUM* post *KOENII* librum de serm. Epp. Poett. p. 284 sq. et *HEINRICHIUM* in Iuvenal. p. 199.

— 81. Rutilius II, 15. »ISOCOLON. Hoc aut duabus aut pluribus sententiis brevibus et inter se paribus exigitur, ita uti hoc est: *Nequaquam mihi dives est, quamvis multa possideat, qui neque finem habet cupiendi, neque modum statuit utendi.* Nam et multum desiderare egentis est signum et nihil parcere egestatis est initium."

— 83. *Privis.* »Privos privasque antiqui dicebant pro singulis. Paulus ex Festo." QUICERATUS. Vide quae attulit *MUELLERUS* p. 226, 6.

— 84. Rutilius I, 48. laudatus a QUICERATO: »MERISMOS. Hoc schema singulas res separatim disponendo et suum cuique proprium tribuendo magnam efficere utilitatem et illustrem consuevit. LYCURGI: *Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae: oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem,* membra quae non possumus honeste appellare ad omne genus corruptelae, *pes ad fugam.* Prorsus ut aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur." Compara Herodianum l. c. p. 594.

— 85. *Dis,* nominandi casu perrarum, extat Terent. Adelph. V, 1, 8.

— 86. ADREMEATIONEM prorsus novum vix poterat fingere auctor. Ego *At remeatio* ad instar Graeci vocabuli reposui. Alliterationem num quaesiverit auctor vix decernas. Sed cfr. versum 92.

— 87. Rutilius II, 1. »Alterum genus (metabaseos) est, id quod demonstrare instituimus, cum ad aliam rem et

actionem atque orationem nostram revocamus. DEMOSTHENIS: *Sed nimirum inopinans incidi in caussam temporis huius alienam, de qua posterius huic dicendum. Quapropter ad illud quod paullo prius agendum revertor.*" Locus extat in Orat. de Cor. p. 240. Reisk. Ἀλλὰ γὰρ ἐμπέπτωκα εἰς λόγους, οὓς αὐτίκα μᾶλλον ἴσως ἁρμόσει λέγειν. ἐπάνειμι δὴ πάλιν ἐπὶ τὰς ἐπιδείξεις κτλ.

— 90. *Danaum* significat. Nempe repperit auctor in Graecis doctoribus, quos sectatus est, versus illos Euripidis apud Tiberium l. c. p. 577., ad quos sua finxit:

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Νεῖλον λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὕδωρ
Ἐλθὼν κατ' Ἄργος ᾤκισ' Ἰνάχου πόλιν.

Vide Archelai fr. 2. Matthiae. Ceterum notabilis dandi casus cum *regnandi* verbo iunctus.

— 91. Παρηγμένον dicunt vulgo, *derivationem* Iulius Rufinianus 14. p. 237.

— 92. Adhibuit versum Phocylideum Plutarch. Morall. II, p. 3, F. vel in Delectu meo Poett. Elegiacor. fr. 9. Ego in Addendis p. 169. ita scribendum docui:

Χρὴ παῖδ' ἔτ' ἐόντα
Καλὰ διδάσκειν ἔργα.

— 93. Confer Plauti Pers. IV, 1, 5. *Si malus est, male res vortunt quas agit.* Mercat. III, 1, 12. *Bona si esse vis, bene erit tibi.*

— 94. Praeter Rutilium II, 5. vide Herodianum p. 601. Ὁρισμὸς δέ ἐστιν ὅταν προθέντες ὄνομά τι ἢ ῥῆμα, οἷόν ἐστιν ὁριζώμεθα· Παραπέμπει δὲ ἡμᾶς ἡ ἐλπίς· αὕτη δὲ ἀτυχούντων ἐστὶν ἐφόδιον.

— 95. QUICERATUS: „*Je restitue le premier pied par* Diligere, *et le quatrième par* vere, *ut mihi. Je traduis: Le caractère de la véritable amitié, c'est qu'elle serve a moi et a mon ami. Le vers suivant confirme cette prémisse.*"

— 96. *sese amat ipse.* Quod furtim subrepit *sese amat ipsum,* reddendum auctori censebunt, qui vulgari praecepto de pronomine *ipse* ab *I. A.ERNESTIO* sancito adhaerescunt. Et profecto sic Cicero dixit Offic. I, 9, 29. »Facile, quod cuiusque temporis officium sit, poterimus, *nisi nosmetipsos valde amabimus,* iudicare." Laelio III, 10. „Suis incommodis graviter angi *non amicum, sed se ipsum amantis est.*" Nec contra valent haec Laelio XXI, 80. „*Ipse se quisque amat*", h. e. φίλαυτος est. Cfr. de Finibus III, 18, 59. Nam nostro loco opposita sententia flagitat hoc dici: *Qui omnia ad suam utilitatem revocat, is sese amat, non me, amicum suum.* Eaque mens scriptoris est. Sed eam sic extulit, ut alteram oppositionem minus promptam involveret, hanc: *Qui omnia ad suam utilitatem revocat, is sese ipsum amat ipse,* h. e. *nec redama-*

tur ab altero. Priori enim sententiae sufficiebat *is sese amat,* ut ait Plautus Capt. I, 2, 19. *sese omnes amant.* Hanc explicationem in huiusmodi locis tenendam esse prudenter demonstravit *HOFFMANNUS* Grimmensis in *IAHNII* Annall. Philoll. VII, 1. p. 33 sqq. Vide etiam *KLOTZIUN* in Cic. Lael. I, 5, p 93, sq.

— 97. QUICERATUS: „*Sans doute* Confine est. *Cette acception de l'adjectif* confinis *est digne de remarque. L'homoeoteleute est toujours désigné en latin sous le nom de* Similiter desinens." Rutilius II, 14. »OMOEOTELEUTON. Hoc minus evidens est quam superius (Homoeoptoton) et minorem affert auribus iucunditatem. Nam neque tam paria duo verba sunt neque eundem habent casum et sonum vocis, quam Graeci προσῳδίαν appellant. Id est huiusmodi: Nam respublica nostra ad hunc statum gloriae pervenit non multitudine hominum, sed severitate legum." Alexander p. 475. aliique.

— 98. Quid tandem est illud *Comminus indignatur, eo magis insidiatur?* Sententiam efficies aptam et Tiberio aliquo dignam, simul sermonis continuationi opitulabere, si mecum reduxeris:

Quo minus indignatur, eo magis insidiatur,
Ut noxam metuas, si non ostenderit iram.

Hoc intellectu: *Ille nescio quis quo minus indignationem verbis, vultu, factis prae se fert, eo magis occulte irascitur et struit insidias, ita, ut si iram recondiderit, eo magis metuendum sit, ne circumveniare.* —

Ad alterum versum haec ascripsit QUICERATUS: „*Second exemple de la figure si l'on transpose noxam metuas.*" Similes versus vel optimis poetis excidisse constat. Vide *FORCELLINIUM* in Lexico s. v. *Leonini versus.*

— 100. QUICERATUS: »Aeque clinatum. *Archaisme; du verbe* clino, clinas; *comme en grec κεκλιμένον. Faut-il lire d'un seul mot* Aequeclinatum?" Hanc coniecturam ita secutus sum, ut *Aequiclinatum* tamen dederim, cll. v. 103. — Rutilius II, 13. »OMOEOPTOTON. Hoc in duobus verbis eundem habet casum, aut eandem novissimam syllabam. Id est huiusmodi: *In rebus adversis cui praesto est consilium, non potest deesse auxilium.*" Conferatur Alexander p. 476. Tiberius p. 562. Herodianus p. 600.

— 101. Lepidum est Epigramma Martialis II, 30. de amico, qui rogatus *auxilium,* dedit *consilium,* indignante poeta:

Mutua viginti sestertia forte rogabam,
Quae vel donanti non grave munus erat.
Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi „Dives eris, si causas egeris", inquit.
Quod peto da, Gai: non peto consilium.

rata, non cata verba. Varro de Ling. Lat. VI, 46. p. 139. Mueller. „*Cata*, acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini; quare

catus Aeliu' Sextus,

non, ut aiunt, sapiens, sed acutus; et quod est

Tunc cepit memorare simul cata dicta,

accipienda acuta dicta." Quid, si duce magistro nostro versum Ennianum sic redintegraveris:

Tunc cepit memorare simul *cata, non rata* dicta.

Quanquam tum vix poteris de sermone Aelii et Flaminini cogitare cum *Merula,* v. Ennii Annall. X, 10. p. 137. Spangenberg. — Ceterum similiter dixit Cato in Q. M. Thermum apud Festum p. 286. Mueller. vel in *MEYERI* Fragmm. Oratt. p. 35. »Erga remp. multa beneficia *ratissima atque gratissima;*" post Catonem Cicero ad Famill. VII, 23, 1. »Ista ipsa, quae te emisse scribis, *non solum rata* mihi erunt, *sed etiam grata.*"

— 102. *Rem non spem.* Sic versu 111. *das spes, adimis res.* Quintilianus IX, 3, 75. inter πάρισα ponit hoc exemplum: *Non enim tam spes laudanda, quam res est.*

— 103. Rutilius I, 10. »POLYPTOTON. Hoc schema solet complures sententias alio atque alio modo ut pronuncientur efferre." Vide Alexandrum p. 473. et reliquos.

— 104. In exemplum figurae suae magister detorsisse videtur Homerica illa Agamemnonis in Achillem Iliad. A, 288 sq.

Πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ'ἀνάσσειν,
Πᾶσι δὲ σημαίνειν, ἅ τιν' οὐ πείσεσθαι ὀΐω.

Ubi Scholia ἐπιβολὴν loquuntur.

— 106. 7. QUICERATUS: *Mobilitas, non nobilitas. C'est une allusion manifeste à la paronomase que Caton, au rapport de Cicéron* (de orat. II, 63, 256), *avait coutume de faire sur le nom de M. Fulvius, l'appelant* mobilior *au lieu de* Nobilior. Rutilius Lupus I, 3. »PARONOMASIA: Hoc aut addenda aut demenda aut porrigenda aut contrahenda littera aut syllaba fieri consuevit. Non enim decet hominem genere nobilem mobilem videri. Nam cum omnibus hominibus tum maxime maximo cuique inconstantia turpitudini est." — *Le manuscrit devrait porter* movilitas, non novilitas." Reliqua exempla pariter sunt Romana.

— 109. Rutilius I, 1. »PROSAPODOSIS. Hoc schema duobus modis fieri et tractari potest. Nam sententiis duabus aut pluribus propositis sua cuique ratio vel posterius reddetur vel statim sub unaquaque sententia subiungetur." Confer Phoebammonem p. 518.

— 110. »Tuor *pour* tueor, *vieille forme. Le sens n'est pas clair.*" QUICERATUS. Mentem auctoris si recte assequor, haec sic sunt conformanda, quo species figurae evadat:

At nos non te, ut tu nos: simplicitate utare.

Ut hoc sibi velit: *At nos te non ita tractamus, ut tu nos. Quin tu simplicius et apertius erga nos agis.* Sed nihil affirmo. *Tuare* autem vel iccirco rejiciendum est, quod *tuor* non alia significatione in usu fuisse videtur, atque *cernendi, spectandi.* Vide *DOEDERLINI* Etymol. et Synonym. IV, p. 306.

112. — Rutilius I, 4. »PARADIASTOLE. Hoc schema plures aut duas, quae videntur unam vim habere, disiungit et quantum distent docet, suam cuique propriam sententiam subiungendo. HYPERIDIS: Nam cum ceterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris. Non enim probas te pro astuto sapientem intelligenti, *pro confidente fortem,* pro illiberali diligentem rei familiaris, pro malevolo severum. Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis." Quo respexit Quinctilianus IX, 3, 65. Confer VIII, 6, 36.

Iuvabit consuluisse Horatiana Sermm. I, 3, 41 sqq.

— 113. QUICERATUS: »Comis *dans le sens de libélal, homme du grand ton. Cette acception est particulière aux comiques.*"

— 115. Παρένθεσιν igitur distinxit ab Ἐπιφωνουμένῳ, *intersertionem* ab *interiectione,* v. supra v. 71. Rutilius I, 17. »PARENTHESIS. Cum in continenti sententia aliquid interponitur, quod neque eius sit sententiae neque omnino alienum ab ea sententia, tum denique hoc schema efficitur, sed periculose ponitur."

— 116. 17. Si quid scriptor ex Lucilio, hos profecto versus hausit. Quid, si ex libro tertio, quo iter Roma Capuam susceptum descriptum fuisse constat?

— 118. Rutilius I, 19. »PAROMOLOGIA. Hoc fit, cum aliquot res adversario concedimus, deinde aliquid inferimus, quod aut maius sit quam superiora, aut etiam omnia quae posuimus infirmet."

— 119. *Academia.* De mensura vocis praeter *HERMANNUM* in Aristoph. Nubb. 1003. dixerunt Intpp. Ciceronis de Divinat. I, 13. Haec quoque Lucilium videntur sapere. — *Nulli* i. q. *nullo pacto, haudquaquam.*

— 118. et 120. QUICERATUS: „*Définition obscure, à cause du mauvais état du vers. Celle de Rutilius l'éclaircit.* Pro parte *s. ent.* nostra; *autant qu'il nous est possible* (?); sensi *pour* sensim."

— 120. „*Je substituerais* si vis *à* sibi; *la confusion du* b *et du* v *a pu introduire cette corruption dans le vers. D'ailleurs* si vis *est un correctif, qui s'accorde très-bien avec la dernière partie de la définition de Rutilius.*"

— 121. *Praesumtionem* vel *anteoccupationem* dicunt alii, v. Quintilianus IX, 2, 16. Sed Iulius Rufinianus de Schem. Lex. 1. p. 227. *praesumtionem* vel *anticipationem,* sed diverso intellectu, dicit. Idem de Schem. Dian. 2. p. 268. PROCATALEPSIN ea qua noster vi vocat *praeceptionem* vel *an-*

ticipationem. Et sic προκατάληψιν usurpat Alexander p. 436. Phoebammo p. 507.

— 122. QUICERATUS: „*Le sens demande des futurs au lieu de parfaits. Encore le* b *et le* v *confondus.*"

— 123. IDEM: „Par est, *sans contredit.*"

— 124. QUICERATUS: „*En remplaçant* At simul *par* Adsimile *la définition s'explique. Voici le sens: L'assimilation a lieu lorsque je rends deux termes pareils, à une légère différence près* (a momento) (?); *c'est la définition du grammairien Diomède:* „παρόμοιον est cum verba vel nomina parum reflexa et tamen similia superioribus inferuntur, ut:

Multa viri virtus animo multusque recursat
Gentis honos."

Rutilius II, 12. »PAROMOEON verborum efficit similitudinem, ita uti hoc est: Nam disputandi aut suadendi est aliud idoneum tempus. Cum quidem adversarius armatus praesto est, resistendum est huic *non verbis, sed armis.*"

— 126. QUICERATUS: „*Je ne sais quel mot se cache sous ce* loqui. *Je crois que c'est* volgi, *qui en est presque l'anagramme; en corrigeant* suffragio *par* suffragia, regnant *par* regnat, puncto *par* puncti (puncti vulgi *par hypallage pour* puncta suffragia), *on obtient un vers qui satisfait à la figure. On se tiendrait plus près du texte, si on supposait* uolgus *par diérèse:*

Regnat ibi, et puncto regnat suffragio uolgus,

mais les exemples manquent. A l'égard de punctum suffragium *voy. Festus au mot* suffragatores." —

Haec quam sint perversa quivis intelligit. Scribe:

Nam plebeius homo, ut ferme fit libera in urbe,
Rex inibi, et puncto regnat suffragia popli.

Sententiam suffuratus est Aeschini in Ctesiph. p. 625. Ἀνὴρ γὰρ ἰδιώτης ἐν πόλει δημοκρατουμένῃ νόμῳ καὶ ψήφῳ βασιλεύει. Iisdem utitur Alexander p. 460. *Rex* et *regnat* efficiunt παρόμοιον. Alias ad Graecorum verborum similitudinem propius accedere liceret verbis sic conceptis:

Legibus et puncto regnat suffragia popli.

— 127. Rutilius II, 18. »PARRHESIA. Fere contrarium est hoc superiori (Epitropae). Nam in hoc vehementer cum iudice agendum est et vitium aut erratum eius audacter coram eo reprehendendum. Sed diligenter hoc utendum et raro: assimulandum est, invisos necessario dicere, ne magis confidentia quam dolore excitati videamur, atque ita non fides, sed odium iudicum consequatur." Vide Iul. Rufinian. 33. p. 219. Quintilian. IX, 2, 27.

— 130. Dupliciter editor a scriptura codicis discessit,

et πρόθεσις et *Propositum* reposuit. Verum illud aperte falsum, licet vix alius rhetor πρότασιν in figuris recenseat; alterum nec necessarium et parum probabile, cum auctor accurate soleat reddere terminos Graecos. Quare πρότασις non *Propositum*, sed *Propositio* erat dicenda. Revocandum Propo*sitjo*. Operae mihi non paruerunt in contextu ipso.

— 132. QUICERATUS: „Exuviae *pris dans sa plus ancienne acception. C'étaient les habits dont on revêtait les statues des dieux. Voy.* Festus *au mot* tensa." Quid *spolia* et *exuviae* differant quaerit *DOEDERLINUS* IV, p. 337. De structura *leges discendum est* vide quae attulit *HAASIUS* ad Reisigii Grammat. Lat. p. 766. Ceterum hoc exemplum ad Lydi cuiusdam, comici paedagogi, sermonem assimilatum censeo.

— 133. Hoc quidem nomine non alter utitur.

— 134. QUICERATUS: „*La symmétrie de la figure demande un prétérit dans ce premier membre de phrase. Je proposerais* veritos tutudit *au lieu de ce barbare* meritostoltos. *Cette lecture s'éloigne du manuscrit, mais s'accorde avec le sens qui renferme une allusion évidente aux dernières guerres de Macédoine et d'Achaïe.*" Istam coniecturam ut et sermo ipse et codicis ductus respuunt, ita favent repositae a me scripturae. Nunc *ultum esse meritos* et *praevenisse insidiantes* sibi ex adverso opponi patet. Subiectum sententiae ab ipso, opinor, rhetore fictae *Populus Romanus* est. *Meritos* in malam partem accipiendum esse satis ostendebat *ultus est.* Allitterationem notabis *victos virtute.* Sic Plautus Casinae I, 3, 49. *Vincere virtute vera.*

— 136. Rutilius I, 2. „SYNATHROESMOS. Hoc et singulis verbis et plurium verborum coniunctione fieri potest. Singulis verbis hoc modo. CLEOCHARIS: Sed cum ad supplicium sumendum se confirmaret, multa simul eum revocabant, officia, consuetudo, tempus, existimatio, periculum, religio; quae singula proprias esse cogitationes ad remorandum subiiciebant." — Quintilianus VIII, 4, 27. Alexander p. 439., Zonaeus p. 675.

— 138. QUICERATUS: „Dementia natûm, *pris dans le sens de désordre, conduite déréglée.*" Periclitatus sum *denuncia vatum.* Novum sane vocabulum, sed quod se satis tutetur usu triti illius *nuncia deorum* et similibus. Vide Serv. Aen. XI, 896. Audire mihi videor verba hominis per occasionem rerum potituri et quae faustum rei exitum portendant recensentis.

— 139. Rutilius a QUICERATO allatus II, 9. „SYNOECIOSIS. Hoc schema docet diversas res coniungere et communi opinioni cum ratione adversari, et habet magnam vim vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi. HYPERIDIS: Nam *hominis avari atque asoti unum atque idem vitium est. Uterque enim nescit uti atque utrique pecunia de-*

decori est. Quare merito utrique pari poena afficiuntur, quos pariter non decet habere." Quintilianus IX, 3, 64. »Συνοικείωσις duas res diversas colligat:

Tam deest avaro quod habet quam quod non habet."

— 143. 44. Nota allitterationem *corpore* et *corde.*

— 145. Rutilius II, 7. „CHARACTERISMOS. Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat. LYCONIS: Quid in hoc arbitrer bonae spei residere, qui omne vitae tempus una ac desperatissima consuetudine producit? Nam simulatque ex prioris diei nimia cibi ac vini satietate, vix meridiano tempore, plenus crapula est experrectus, primum *oculis mero madidis,* humore occaecatis, visco gravidis, lucem constanter intueri non potest: deinde confectis viribus, utpote cuius venae non sanguine, sed vino sunt repletae, se ipse erigere non valet. Tandem duobus innixus, languidus, qui cubando sit defatigatus, tunicatus, sine pallio, soleatus prae lectulo, palliolo frigus a capite defendens, *flexa cervice,* summissis genibus" *et rell. Postremo:* „Novissime solus in triclinio relictus non prius poculum ex manibus emittit quam somnus oppressit bibentem." Hanc ubertatem nostrum rhetorem in artiorem imaginem conclusisse coniicio. QUICERATI haec est annotatio: *Limonides. Mauvaise leçon, car l'*o *est long dans* Limonides, Λειμωνίδης. *Peut-être faut-il lire* Liodes, Λειώδης, *l'un des amants de Pénélope, qu' Homère depeint comme un inséparable ami de son gobelet:*

παρὰ κρητῆρα δὲ καλὸν
ἷζε μυχοίτατος αἰεί. Odyss. XXI, 145."

Mihi cur *Liodis* — nam correctio vera videtur — potissimum nomen usurparet rhetor ea fuisse ratio videtur, quod is Οἰνοπος υἱός vocatur Odysseae l. c. versu 144.

— 148. Alexander p. 486. Περὶ ἐπιτιμήσεως, τὸ δ' αὐτο καὶ ὑπαλλαγήν τινες καλοῦσιν. Τοῦτο τὸ σχῆμα γίνεται καὶ αὐτὸ κατά τινας τρόπους· ἢ γὰρ ἐπιτιμήσαντες τῇ πρώτῃ λέξει ἑτέραν ἐλάβομεν, ὡς Δημοσθένης· Ὀψὲ γάρ ποτε, ὀψὲ λέγω; χθὲς μὲν οὖν καὶ πρώην· ἢ διαφοράν τινα ἐμφαίνομεν τῶν ὀνομάτων, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ περισσῶς φιλοῦντος· Οὐκ ἔστι τοῦτο φιλία, ἀλλ' ἔρως· ἢ διαστήσαντες ἐξελεξάμεθα τὸ βέλτιστον· Ὠργίζετο· οὐ μὲν οὖν, ἀλλ' ἐμαίνετο. Prius exemplum est de Cor. p. 270. Reisk. Rursus allitterationem nota.

— 150. Servavi *iste.* Quanquam Graeca verba a rhetore expressa patrocinari QUICERATI lectioni *istud* videntur.

— 151. Alexander p. 485. Περὶ προσυναπαντήσεως. Προσυναπάντησίς (Προςυπάντησις codex Parisinus) ἐστιν, ὅταν δύο ἐξενεγκὼν ὀνόματα πρὸς τὸ τελευταῖον πρότερον τὴν ὑπάντησιν ποιήσηται, ὡς καὶ τὸ Ὁμηρικόν· (Il. Δ, 450. Θ, 64.)

Ἔνθ' ἅμα τ' οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν
Ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων.

τὸ γὰρ ὀλλύντων τῷ εὐχωλὴ προαποδέδοται. Καί· Ἐλθόντων Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων· Λακεδαιμονίων μὲν Εὐρυβάδεω ἡγουμένου, Ἀθηναίων δὲ Θεμιστοκλέους.

— 152. 53. Comparabam Pindarum Olymp. X. init.

Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλεῖστα
Χρῆσις, ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων,
ὀμβρίων, παίδων νεφέλας.

Sed alius locus isque nostris versibus similior obversatur animo. Sed non reperio, nisi hunc Theognideum 25. 26.

Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὕων πάντεσσ' ἀνδάνει οὔτ' ἀνέχων.

— 153. QUICERATUS: „*Le verbe* vio *a été en grand honneur dans le latin de la décadence. Quelques uns le lisent dans Plaute* (Trucul. I, 1, 7.) „quot pericula vianda." *Quintilien désapprouve ce dérivé:* „*Laureati* postes pro illo: *lauro coronati* ex eadem fictione sunt. Sed hoc feliciter, *evaluit;* at contra *vio* pro *eo* infelicius." VIII, 6, 33. *Ainsi il a son antiquité.*" Sed corruptissimus est locus Quintiliani et paene conclamatus. In loco Plautino incerta scriptura: sed Pseudol. V, 1, 3. extat:

Pergitin' pergere? si *viandum* mihi
Hodie est, magnum hoc vitium vino est.

— 155. QUICERATUS: „*Diminutif de* pausa? *Je le laisse subsister parce qu'il fait le vers et qu' à la rigueur il offre un sens.*" Fateor, me sensum illum non perspicere, qui oriatur ex versu sic concepto:

Pausillam occultam, male quod vult, praecipit in re.

Contra aperta verba satisfactumque anastrophae, si mecum reddideris:

Pausillam occultam male quod vult praecipiti in re.

— 156. QUICERATUS attulit Homerum Il. Γ, 2.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς.

Ubi: ὁ τρόπος ἀναστροφή Scholia D. Eodem exemplo utitur Trypho VIII, p. 742. Ceterum QUICERATUS p. 63. haec de hoc loco scripsit: „*Dans ce vers il me semble entendre Lucile sifflant quelqu'un de ces maladroits imitateurs, qui, tandis qu'ils voulaient contraindre la muse latine aux élans de la poésie grecque, n' aboutissaient qu' à la faire tomber à plat dans la chute d'un mauvais vers.*" Non credo. Malos versus non poterat culpare Lucilius.

— 157. Scripsit Francogallus *intersita pendulu' laudo*, quam scripturam his verbis commendat: „Intersita *au lieu de* interposita, *la syllable* po *est évidemment une interpolation.* Pendula claudo *est un contresens;* pendulus laudo *ramène le sens véritable de la définition;* laudo *dans le sens de* énoncer. *Cette espèce d' hyperbate n'est pas au nombre de celles que consignent les grammairiens. Donat* (Putsch. p. 1777) *donne cependant à la figure en général le nom de* Transcensio; transgressio *dans le traité à Hérennius.*"

Laudo cum ista vi dictum esse nequeat, collabitur emendatio a QUICERATO excogitata. Volebat auctor eum dicere *transcensum,* cum verba intersita ita claudantur, ut pendeant. Ut hoc loco *pendula clauduntur* verba *quod negat — laedit leges.*

— 158 59. Exemplum suum confinxit auctor ad modum Demosthenis, cuius hunc locum affert Alexander p. 483, tanquam hyperbatum: Γίνεται ὑπερβατὸν καὶ πολλῶν τιθεμένων μεταξὺ λέξεων τῶν ὀνομάτων, ὡς ἔχει τὸ Δημοσθενικόν (in Aristogiton. p. 775)· Ἐγὼ δ' ὅτι μὲν πάντα ἀπόλλυται χρήματα, ἐὰν τὰ τοῦ σοφίσματος παραδέξησθε, καὶ ὅτι, εἰ ἄρα δεῖ τινας ἀφιέναι τῶν ὀφειλόντων τοὺς ἐπιεικεστέρους καὶ βελτίους, καὶ ἐπὶ τοῖς ἥκιστα δεινοῖς ὠφληκότας ἀφιέναι δίκαιον ἂν εἴη —, καὶ ὅτι οὐδ' εἰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀφιέναι δίκαιον, οὐχὶ τῷ βιαζομένῳ ὑβρίσαι τὸ αὐτὸ γέγονε — τὰ τοιαῦτα ἐάσω. Ceterum *vivis ius* vix sanum erat. *Mortuos* passus essem, *vivos* expuli.

— 160. Alexander p. 471. Ἀντεναντίωσίς ἐστιν οταν τὸ ἐναντίον ὄνομά τινος τιθέντες αὐτὸ ἐκεῖνο σημαίνωμεν, εἰ οὕτως ἢ τῷ κειμένῳ ἐναντίον, οἷον· Ἐχθροὺς ἔσχεν οὐ τοὺς ἀδυνάτους λέγειν καὶ πράττειν· καὶ πάλιν· Οὔτε ἐλαχίστων κατὰ τὴν πόλιν, ἀντὶ τοῦ τοὺς δυνατωτάτους καὶ τῶν μεγίστων· καὶ ὡς τὸ Ὁμηρικόν·

Ἐπεὶ οὔ μιν ἀφαυρότατος βάλ' Ἀχαιῶν,

ἀντὶ τοῦ ὁ γενναιότατος. Eodem exemplo praeter alios utitur Hermogenes III, p. 445 Walz. Locus de Aiace est Iliad. O, 11, ubi vide Scholia Veneta. Cum priore rhetoris nostri exemplo similitudinem habet locus Homericus in Scholiis Venetis laudatus Odyss. P, 415.

Δός φίλος· οὐ γάρ μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν
ἔμμεναι, ἀλλ' ὥριστος.

Sed malui tamen verba *sed proxima res est* ad rhetorem referre. Editor si vim verborum et sententiae intellexisset, verissimam manum codicis *non infortissimus* non temere sprevisset, *non ni fortissimus* interpolando. *Infortis* vox in praesentem usum ad reddendum accurate οὐκ ἀφαυρότατος procusa excusabitur. Explicavit nuper de hac figura *LOBECKIUS,* vir summus, in festiva commentatione *De Antiphrasi et Euphemismo*, vid. Actt. Societ. Graec. Lips. II, p. 298. QUICERATUS mire *qua de* hellenismum vocat comparans ἐμοῦ μέτα, χαρᾶς ὕπο, φίλων ἄπο.

Sic Auctor ad Herenn. II, 29, 46. »De ea re, *qua de* controversia non est.” IV, 12, 17. »Eius rei verba, *qua de* loquemur.” Vide *HAASIUM* ad Reisigii Gramm. Lat. p. 214.

— 163. *Ligationem* vel *annexionem* appellat Iul. Rufinianus de Schem. Lex. 3. p. 229.

— 164. Zeugma in eo cernitur, quod propria est locutio *ferire ense*, ut Virgil. Aen. XII, 458., Graecis πλήσσειν ἄορι. Sic *securi ferire* usitatum. Contra minus aptum verbum hastae eminus missae, arcui sagittam suam mittenti. Plane ut apud Homerum ex sollérti observatione Aristarchi οὐτάσαι, τύψαι, νύξαι, πλῆξαι, adde ἐλάσαι, de vulneribus cominus illatis, contra βάλλειν de missili eminus iactato usurpantur, v. *LEHRSII* librum de Aristarchi Stud. Hom. p. 61 sqq.

Versiculum ipsum putarim ab ipso esse auctore consutum. Nomina propria ab Homericis Virgiliique carminibus mutuatus est. Vide Addendum p. 47.

— 165. Hic versus mirifice fefellit editorem, quippe qui exemplum zeugmatis alterum afferri ratus haec a praecedentibus plane segregarit. Dicit enim haec: *La restitution que je propose, pour ce vers, a l'inconvénient de fournir un exemple peu riche, parce que le* zeugma *n'y tombe que sur les deux termes* fini *et* principio. *Peut-être faut-il:*

Nunc medio fieri et fini pote principioque.

Mais on peut plutôt faire ex *de* et *que* medio *de* medius.” — Scripsit rhetor:

Nunc medium ferit et fini pote principioque,

hac mente: „Quod nunc in media sententia collocatum est *ferit*, id et in fine et in principio sententiae collocari potest.” Ne dubitares, apposui haec Quintiliani IX, 3, 62. „Tertia figura, quae dicitur συνεζευγμένον, in qua unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur. Id accidit *aut praeposito verbo*, ad quod reliqua respiciunt; *aut illato*, quo plura cluduntur. *Medium quoque potest esse*, quod et prioribus et sequentibus sufficiat.”

— 166. Alexander p. 474. Ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος μετάθεσις μορίων ὅλων γίνεται καὶ καθ' ἕκαστον κῶλον ἢ κόμμα, ὡς ἔχει τὸ Δημοσθενικόν (de Cor. p. 328.)· Τίς γὰρ συμμαχία σου πράξαντος γέγονε τῇ πόλει; τίς δὲ βοήθεια ἐκ τῆς σῆς εὐνοίας καὶ δόξης; τίς δὲ πρεσβεία; τίς δὲ διακονία, δι' ἣν ἡ πόλις ἐνδοξοτέρα γέγονε; τί τῶν Ἑλληνικῶν ἢ τί τῶν οἰκείων ἁπλῶς ἐπηνώρθωται διὰ σέ; ποῖαι τριήρεις, ποῖα βέλη, ποῖοι νεώσοικοι; τίς ἐπισκευὴ τειχῶν, ἢ ποῖον ἱππικόν; ἢ τῶν ἁπάντων τί χρήσιμον, ἢ τοῖς ἀπόροις πολιτικὴ βοήθεια ἢ χρημάτων εὐπορία; Adde Tiberium p. 566. Hinc sua compilavit rhetor, cui pro *Iussisti* necessario redonandum fuit *Iunxisti*. Saepe conflictantur.

De appellatione *variationis* haec QUICERATUS: „*Cette dénomination a déjà été donnée à la métaphrase, voy. ci-dessus,*

v. 89. *Le sens n'est pas clair. Quintil.* IX, 3, 37. »Quod autem tempus veneni dandi? Illud? in illa frequentia? per quem porro datum? unde sumptum?" *etc.*; »hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius *μεταβολήν* vocat." At illud *πολύπτωτον* est.

— 168. *Abundas.* QUICERATUS: »Cur tam abunde dicis?" Nempe *verbis.*

— 169. De *ἀλλοιώσει* paullo diversa supra v. 18. Huc pertinet Alexander p. 471. Ἡ ἀλλοίωσις ἢ καὶ ἀλλαγὴ σχῆμά ἐστι ποικίλον καὶ κατὰ πολλοὺς γενόμενον τρόπους. Καὶ γὰρ ἀριθμοὺς ἀλλάσσομεν καὶ ὀνομάτων τὰς πτώσεις, καὶ ἐπὶ τῶν ῥημάτων πάλιν χρόνους, πάθη. Ὀνομάτων μὲν οὖν εἴδη καὶ οὕτως ἀλλοιοῦται καὶ μεταβάλλεται· Πᾶσα γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει· ἀντὶ γὰρ τῶν Ἑλλήνων Ἑλλὰς εἴρηται κτλ.

— 170. QUICERATUS apposuit Ciceronem De Or. III, 42, 167. »Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu,

pro *Afris* est sumpta *Africa.*"

— 172. Alexander p. 471. »Μέλει δ' οὐδενὶ οὐδὲ μέμνηται"· καὶ γὰρ ἐνταῦθα ἐλλείπει τὸ οὐδείς. Locus est Demosthenis de Fals. Legat. p. 383. Reisk. De hac quam ipsi *ellipsin* vocare placuit consuetudine Graecorum Romanorumque nota omnia. Vide, si vacat, quae habet *HEINRICHIUS* in Iuvenalis Sat. VI, 18. p. 222.

— 174. *Quisquam.* Immo vero etiam *quisque.*

— 175. QUICERATUS: *L'auteur du traité à* Herennius: »Significatio per *exuperationem* fit cum plus dictum est quam patitur veritas."

— 176. IDEM Horatium apposuit Sermm. I, 5, 21.

Cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. Quarta vix demum exponimur hora.

Le pléonasme dans ce dernier vers résulte nécessairement de la juxta-position de vix *et de* demum. *Les commentateurs ne paraissent pas avoir saisi cette délicatesse de langage, parce qu'ils ont pris* demum *dans son acception ordinaire; mais Paul Diacre d'après Festus remarque, que les anciens prenaient* demum *pour* duntaxat." Hanc particularum coniunctionem non tetigit *HANDIUS* Tursellino II, p. 250 sqq.

— 177. *Saucius ille leo.* QUICERATUS p. 55. allato Virgilio Aen. XII, 5.

Saucius ille gravi venantum pectore vulnus
Tum demum movet arma *leo,*

haec disserit: *Mais cette ressemblance éloignée suffit-elle pour établir les droits de Virgile sur notre vers 177? En bonne critique, on ne peut pas conclure d'une simple analogie d'expres-*

sion à la propriété de tel ou tel auteur. Le ille *emphatique était sans cesse dans la bouche des Romains. Ennius, ou tout autre poëte de l'ancien âge, peut fort bien l'avoir appliqué, avant Virgile, au lion blessé par les chasseurs; ou, si l'on voulait à toute force établir une parenté entre l'hémistiche du fragment et les deux vers de l'Enéïde, je serais en droit de supposer que Virgile, dans ce passage comme dans d'autres, a procédé par imitation. On sait qu'il ne se faisait pas scrupule de puiser ainsi dans ses devanciers. Il pouvait agir en légataire de tous les autres, assuré qu'il était de la survivance."* Exornata haec in gratiam eius sententiae, quam de aetate libelli nostri imbibit auctor. Cautionem tamen adhibuisset, si Servii in illum locum commentarios adisset. Ibi haec: „*Saucius ille*, κατ' ἐξοχήν. *Ille leo*, i. e. princeps ferarum. [Vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, ut (X, 707.): *Ac velut ille canum morsus;* interdum nobilitatem significat, ut (I, 3.) *Multum ille et terris iactatus*, aut similem rem designat. Lucilius: *Velut olim Auceps ille facit cum improviso insidiisque. Quamvis quidam ille per se superfluum hoc loco pronomen tradunt".*] Quae novissima Servii est sententia, eandem scriptor de figuris suam fecerat. — Comparari potest Alexander p. 469. in capite περὶ πλεονασμοῦ: — Ἐκεῖνος Καλλίστρατος ἐκρίνετο· τὸ ἐκεῖνος προςκείμενον ἔμφασίν τινα μεγέθους περὶ τὸν ἄνδρα δηλοῖ.

Ibidem. Vix et *ille.* QUICERATUS: „*Il veut dire: „Voilà deux exemples de pléonasme, parce qu'on peut retirer* vix *et* ille *sans nuire au sens." Vix se substitue tout naturellement à* vim.

— 178. QUICERATUS: „*Lucrèce* V, 864.

Lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla.

Dice. *Cette forme ne se trouve pas postérieurement aux comiques. La locution* dice loquendo *me paraît tirée d'un vieux poëte."* Ut Graecum εἰπὲ φράσας.

— 180. Inepte QUICERATUS custodivit barbarum nomen προςδιαγράφεσις. Tu vide Alexandrum p. 467. Προςδιασάφησίς ἐστιν ὅταν ἓν ὄνομα ἐπενεχθῇ πεπληρωμένῳ λόγῳ, προςδιασαφοῦν πλέον τι, ὡς ἔχει τὸ Ὁμηρικόν (Il. A, 24.)

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ.

Τὸ γὰρ θυμῷ ἐπηνέχθη πλήρει τῷ λόγῳ προςδιασαφοῦν, ὅτι ψυχή ἐστιν, περὶ ἣν τὸ τοῦ ἀρέσκειν πάθος γίνεται. Apud Zonaeum p. 683. προδιασάφησις scriptum extat falso. Sic et apud Anonymum p. 708. Utrumque fac corrigas.

APPENDIX.

In altero volumine eorundem annalium, quod proximo superiore anno editum est, idem *Quiceratus* publicavit *Fragmens inédits de littérature Latine*, p. 115—147. Ex quibus pauca delibare placuit.

I. *Sententiae morales.* Invenit vir doctus in libro aliquo folium, in quo manu *Grenerii*, de societate Iesu, perscripta erant *„Proverbia veteris scriptoris anonymi, quorum pleraque esse videntur Publii Syri et aliorum qui in vulgatis editionibus post Phaedri fabulas eduntur. E msto. cod. Reginae Sueciae, X. saec. num. 170, in Bibl. Vaticana.* Omisit *Quiceratus* eas sententias, quae erant aut Publii Syri aut Senecae. Prodidit has, numero XXI., quae tamen nec ipsae prorsus novae sunt:

1. Boni mores sibi semper placentes permanent.
2. Gravius irascitur qui quod dolet deo commendat.
3. Multi dum falli putant fallere docent.

(Senec. Epist. Lucil. 3. „Nam quidam fallere docuerunt, dum timent falli.")

4. Non est hominis maior stultitia quam putare se amari ab his quos ipso (*l.* ipse) non diligat.
5. Non qui iussus aliquod sed qui invitus facit miser est.
6. Nullum laborem recusant manus ab aratro ad arma translatae.
7. Omnis qui amicus est amat, sed non omnis qui amat amicus est. (Martialis Supposit. XVIII, 1.)
8. Omnia sibi (*l.* vincit) qui se subiicit rationi. (Senec. Epist. 37. „Rationi te subiice, si vis omnia vincere.")
9. Omnia cum amico communia habebit qui multa cum homine.
10. Omnium est communis inimicus qui hostis est suorum.
11. Oriente sole consilium, occidente convivium.

12. Plerosque hominum in domibus saevissimos, in alienis humillimos servos.

13. Plurimi quot servos, totidem hostes habent. (Senec. Epist. 47. Festus s. v. Quot servi. p. 261, 29.)

14. Quae est ars parandae amicitiae? si vis amari, ama. (Senec. Epist. 9.)

15. Securus obit qui vitia sua ante se immolat.

16. Semetipsum laedit cum ebrio qui litigat. (Publ. Syrus: „*Absentem* laedit cum ebrio qui litigat.")

17. Sic prodesto amico, ne tibi noceas; sic age alienum, ut tuum non obliviscaris negotium.

18. Spiritum quem unus tibi dedit, licet minentur multi, non perdes, nisi unus abstulerit.

19. Stultum est si velit imperare aliis qui sibi nescit. (Publ. Syrus: „Stultum est imperare reliquis qui nescit sibi.")

20. Stultus est qui multitudinem in loco timet per quem nisi unus potest transire.

21. Velle bonum fieri magna pars est bonitatis. —

Operam perdidit *Quiceratius*, qui has quisquilias ad versus scilicet senarios iambicos vel septenarios trochaicos revocare operose periclitatus sit. Sic has sententias pro versibus senariis venditat:

1. Boni mores sibi semper placentes permanent.
3. Multi dum falli [se] putant, fallere docent.
8. Omnia sibi qui se rationi subiicit.
12. Plerosque hominum [heros] in domibus saevissimos
    [Videas] in alienis servos humillimos.

Haec sibi habeat. Ego non amplius morabor.

II. *Monosticha de moribus* a *BURMANNO* Anth. Lat. I, p. 574. et *A. MAIO* Classic. Auct. ex codd. Vatic. V, p. 461. edita auxit sedecim versibus ex cod. Paris. 8069. descriptis. Cum pleraque ab elegantia commendentur, apponam:

Fol. 3. vers. Si piget admissi, committere parce pigenda.
Quod nocet interdum, si prodest, ferre memento;
Dulcis enim labor est cum fructu ferre laborem.
Laetandum vita; nullis est morte dolendum:
Cur etenim doleas, a quo dolor ipse recessit?
Fol. 4. rect. Spes facit illecebra[m] visuque libido movetur.
Non facit ipse aeger quod sanus suaserit aegro.
Ipsos absentes inimicos laedere noli.
Ulcus proserpit quod stulta silentia celant.
Nemo reum faciet qui vult dici sibi verum.
Vincere velle tuos satis est victoria turpis.
[Non] nunquam vultu tegitur mens tetra sereno.
Quisque miser casu alterius solatia sumit.
Fol. 127, vers. Saepe labor siccat lacrymas et gaudia fundit.
(*Maius:* Saepe dolor *sicut* lacrymas et gaudia fundunt.)
Vera libens dicas, quanquam sint aspera dicta.

His accedit decimus septimus aliunde petitus:

Vir constans quidquid coepit, complere laborat.

Tum in fol. 128. vers. superioris codicis inter iambos P. Syri emergit hic novus:

Simulator ore decipit amicum suum.

III. Eiusdem codicis folium 2. offert *Sentencias Catonis*. Nec has lecturis invidebo:

Inter iratum et insanum nihil, nisi dies instat (?).
Alter enim semper insanit, alter dum irascitur.
Alteri semper ignosce, tibi nunquam.
Invidiae cede.
Somno pro servo, non pro domino utere.
Diu deliberato, cito facito.
Virtus maxima est bonos nosse. (Cfr. Martial. VIII, 15, 8.)
Cum alios, tum te maxime verere.
Sine aliis saepe, sine te nunquam esse potes.

Haec excipit *Vita Virgilii* ex eodem codice sumpta. Quae cum singularia quaedam praebeat et incredibilia, iuvabit transscripsse: DE NOBILITATE AC DIE TEMPORIS (*tempore* codex) NATIVI LONGITUDINEQUE TEMPORUM VITAE PUBLII VIRGILII MARONIS, DISCIPULI EPIDII ORATORIS INCIPIT:

Publius Virgilius Maro, genere Mantuanus, dignitate eques (*aeque* codex) Romanus, natus idibus Octobribus, Cneio Pompeio et Marco Crasso consulibus. Ut primum (*praemium* codex) se contulit Romam (Romae *codex*), studuit apud Epidium oratorem cum Caesare Augusto. Unde cum omnibus Mantuanis agri auferrentur, quod Antonianis partibus favissent, huic solummodo (solo *codex*) concessit memoria condiscipulatus, ut et ipse poeta testatur in Bucolicis, dicendo:

Deus nobis haec otia fecit.

In quibus ingenium suum expertus est, favorem quoque Caesaris emeruit. Ac deinde Georgica conscripsit, et in his corroborato ingenio eius, Aeneida conscripsit. Cui finem non potuit imponere, raptus a fatis; et ideo, ut fertur, inveniuntur apud eum versus non peracti, quibus non supervixit ad replendum. Vixit vero annos L duos, amicitia usus imperatoris Augusti et aliorum complurium et comprobatissimorum virorum.

In fol. 6. eiusdem codicis haec extant:
De vita autem poetae pauca sunt dicenda, qui nec talis fuit, *ut imitari* debeat. Sciendum autem Virgilium congruum *humanae vitae tenuisse* ordinem in componendis opusculis Nam

prima vita hominum pastoralis fuit, sicut Virgilius primo Bucolicam scripsit. Deinde agriculturae studuit, sicut Georgica secundo composita sunt. Crescente itaque populi multitudine, simul belli amor increvit, unde Aeneida tertio loco ponuntur, bellorum plena. Composuit autem Bucolicas tribus annis, Georgica septem, Aeneida undecim. Dictus est autem παρθενίας, id est virgineus. Fuit verecundissimus, adeo ut in publico videri nollet. —

Docuisse Epidium M. Antonium et Augustum prodidit Suetonius de Clar. Rhett. c. 4. Virgilium autem non aliam ob caussam censendi sunt adiecisse veteres Grammatici, nisi quo explicarent, quam ob rem Augustus ipsius agris pepercisset. Ceterum eadem notitia extat et in Vita Virgilii codici Gudiano praemissa, vid. *HEYNIUM* in Vit. Donat. II, 7. et *WEICHERTUM Commentat. prim. de Imp. Caes. Augusti scriptis eorumque reliquiis.* Grimae 1835. p. 28., et in eodem illo codice Parisino initio Culicis sic effertur:

„Poetarum sapientissimi P. Virgilii Maronis, condiscipuli Octaviani Caesaris Augusti, mundi imperatoris, iuvenalis ludi libellus incipit."

Cum reliquis, quae sunt de ordine quo Virgilius carmina scripserit, confer Donat. Vit. Virgil. 5. 10 et 11. et Servium in Bucol. II, p. 97. Lion.

Post haec *QUICERATUS* ex codice 1188., olim ab Nic. Heinsio usurpato, protraxit hos versus de carminibus Virgilianis:

Doctiloqui carmen ructatum fonte Maronis
Bis senis numeris, florens, se milibus explet;
Et super hos octingentis septem quadraginta
Versibus adiunctis concluditur omne volumen
Quod cecinit quondam, variato fulmine linguae,
Pastores; Cererem; Bacchum; pecus et bona mellis;
Naufragium; flammas; errores; vulnera; ludos;
Tartara; post Latium; sic Teucros bella frementes;
Hostibus Ascanium Rutilis in castra relictum;
Praelia post reditum; devictam morte Camillam;
Et sua cedentem profugo connubia Turnum.

Ne nunc quidem satis. Accedit cento Virgilianus a Mavortio, qui aegre ferret, quod Virgilius iunior appellaretur, consutus. Ex apographo Iureti repetiit editor:

CUMQUE MABORTIO CLAMARETUR
„MARO IUNIOR" AD PRAESENS HOC RECITAVIT:

Ne, quaeso, ne me ad tales impellito pugnas.
Namque erit ille mihi semper deus, ille magister.
Nam memini, neque enim ignari sumus ante malorum:
Formosum pastor Phoebum superare canendo

Dum cupit et cantu vocat in certamina Divos,
Membra deo victus, ramo frondente pependit.

Clauduntur haec Epigrammate ex cod. 8069. fol. 2, rect. descripto:

ITEM CAESAR DE LIBRIS LUCANI:

Mantua, da veniam, fama sacrata perenni;
Sit fas Thessaliam post Simoenta legi.

Explicat in sequenti commentatione editor *de Virgilio Marone Grammatico,* portentoso illo homine, de quo post Maium disputarunt Osannus et Bernhardyus. Nam cum repperisset *QUICERATUS* in codice 8069. hos versus Virgilii:

VERSUS VIRGILII CUM VIDERAT VEL AUDIERAT IUVENEM APRUM INTERFICIENTEM AC TUNC IMPROVISUM CALCANTEM SERPENTEM:

Sus, iuvenis, serpens, casum venere sub únum:
Sus iacet exstinctus, serpens pede, ille veneno.

Et hos:

Anguis, aper, iuvenis pereunt vi, vulnere, morsu:
Hic fremit, ille gemit, sibilat hic moriens,

hos igitur cum repperisset tanquam Virgilianos, reiecit ad Virgilium illum, qui in Italia superiore vel Gallia meridionali saeculo quinto sextive initio floruisse videatur. Sed haec *OSANNUS* excutiet. —

Commentatio ultima praebet versus Christianos. Prima duo carmina habent laudes Eunomiae, Nazarii rhetoris filiae, quae teste Hieronymo in Chronic. a. 335—336. *in eloquentia patri coaequatur.* Repperit *QUICERATUS* in codice 8349. fol. 45.

INCIPIT LAUS DOMNAE EUNOMIAE SACRAE VIRGINIS.

Plena deo, moderata animo, miranda decore,
Larga manu Eunomia, provida, virgo pia:
Alta sapis, praecelsa petis, profunda rimaris;
Angelicos motus pectore sancto geris.
Vive, caput vivum, generis veneranda propago,
Et meritis caeli culmina celsa pete.
Unica iam desunt solatia congrua fratris;
Sola deo vivis, vivis et imperio.
Largior extensa sit dextera, longior aetas:
Nestoreos superes annos et eloquium.

ITEMQUE LAUS EUNOMIAE. VERSUS CUM CANTILENA DICENDI.

Fulgens Eunomia decensque virgo,
Pollens, nobilis et fecunda libris
Atque in culmine constituta celso,
Subter cuncta videns, beata, clemens,
Mitis, blanda, gravis, quieta vives.
Sic es Christo parens talisque, priscis
Qualis rustica Veritas capillis *)
Argutum caput atque consecratum
Constans erigis et promittis omnes
Castam vivere te deo per annos.
Adsit cuncta regens pater volenti;
Dextram filius ille Nazarenus
Succurrens tibi tradat imploranti;
Sanctus Spiritus influens medullis
Sensus inriget et fomenta donet;
Gressus dirigat et viam procuret;
Confirmet pedes et fidem propaget,
Enses proterat et dolos latentes
Prodat magnificus protector; et te
Annis praegravem et corona laetam
Sanctam collocet angelus **) in urbem.
Hic te perpetua quiete donet.
Tunc quaeso meminisse te clientis,
Cum Christum fide videris serena.

EXPLICIT LAUS DOMNAE EUNOMIAE SACRAE VIRGINIS.

Sequuntur versus Honorii Scholastici, quos *Quiceratus* vidit in codice 4860. fol. 59. ante Chronicon Iordanis *De regnorum temporumque successione.*

IN CHRISTI NOMINE INCIPIUNT VERSUS HONORII SCOLASTICI AD IORDANEM EPISCOPUM.

Si fontis brevis unda latens dimersa tenetur,
   Ignotae et viles esse putantur aquae;
Quas cum docta manus produxerit arte magistra,
   Pura fit exsiliens lympha, vocata manu.
Tunc pregnantis humi laxantur viscera partu

---

*) Christipotens *QUICERATUS. IDEM* pro *priscis* vult *passis.* Potius *siccis.* Usurpavit poeta versum Martialis Epigrr. X, 72, 10.

Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.

An *crispis?*

**) angelorum *QUICERATUS.*

Et subito sterilis flumina terra creat,
Non aliter validum gemino robore lignum,
Imbutis digitis, dextra domare *) solet;
Arboris et speciem humanis non usibus aptam
Cogit in externum crescere factor opus.
Sed cum te potior, Seneca meliore magistro,
(Quem ut moneas, lucem cordis habere facis),
Non dubitare queam Lucillo clarius illo,
Aeternas Christi sumere dantis opes.
Cedat opus priscum, vera nec luce coruscans,
Nec de catholici dogmatis ore fluens:
Ille mihi monumenta dedit, te, vera, docente,
Nec dedit infida quae sibi mente tulit;
Nam cum de pretio mortis regnante perenni
Lucillum imbuerit, hac sine morte perit.
At tu cum doceas homines superesse beato **)
Ex obitu, Christum morte sequendo pia,
Erigis, et Senecam, dominus verusque magister,
Ingeniis fidei me super esse facis.
Unde, precor, Lucillum alium nec pectore talem,
Quae me nosse cupis, scire precando iube;
Discipulumque tuum (prius isto nomine ditans),
Conforta, revoca, corripe, disce, mone.

„Expliciunt versus Honorii scolastici ad Iordanem episcopum, ad rescripta Senecae ad Lucilium, quae ei scripserat exhortatoria saeculum relinquere et veram philosophiam amplecti, feliciter." —

Agmen claudunt haec duo carmina codicis 8069. fol. 3. quae *Quicerato* saeculo sexto non recentiores videntur. Prius est de Apostolis diversas in partes orbis terrarum missis:

Petrus Romanis, Andreas sanctus Achivis.
Aethiopes Matthaeus adit, loca Parthica Thomas.
Iacobus Hispaniis, Asiae dat iura Iohannes.
Nilicolas Symon, Hebraeos Matthia cogit.
Alter habet Solymam Iacobus, Iuda Mesopotamos.
Paulus adit gentes totus quas continet orbis,
Bartholomeus Indos, Gallos tum porro Philippus.

Alterum effert sententiam Matthaei: *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui,* S. Matth. VIII, 5.

Si nostram, frater, festucam tollere quaeris,
Robora de proprio lumine tolle prius.

Id aperte in malignos censores dictum est.

*) *donare* codex. **) beatos *Quiceratus*.

ADDENDUM

ad Incerti auctoris de figuris versus heroicos.

Vers. 165. *Oebalon ense ferit, Lycon hasta, Pedason arcu.* Persimilis est locus Hadriani Imperatoris in carmine *de trium Amazonum pugna,* vid. Burmann. Anth. Lat. Libr. II, 258. p. 445. (Meyer. Anthol. 210.):

Ut belli sonuere tubae, violenta peremit
Hippolyte Teuthranta, Lyce Clonon, Oebalon Alce;
Oebalon ense, Clonon iaculo, Teuthranta sagitta.
Figitur ora Clonos, latus Oebalus, ilia Teuthras.
Plus puero Teuthras, puer Oebalus, at Clonus heros.
Oebalus ibat equo, curru Clonos, at pede Teuthras.
Iphicli Teuthras, Doryli Clonos, Oebalus Idae.
Argolicus Teuthras, Moesus Clonos, Oebalus Arcas.

Nempe omnis hic lusus redolet scholam rhetoricam.

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

La 35.250
(Carmen de figuris vel schematibus.
Widener Library 004800716
3 2044 085 183 390